DE ADOPTIONE CIVILI DISSERTATIO

Theologico-Legalis, & Hiſtorica, occaſione Cauſæ,

CUI TITULUS,

Volaterrana Adoptionis

SUPER ARTICULO

Nùm licitum ſit Presbytero ſæculari, ſibi quemquam in Filium adoptare.

AUCTORE

D. JOANNE BAPTISTA BRASCHIO

ARCHIEPISCOPO NISIBENO.



ROMÆ MDCCXXIX.

Ex Typographia Raphaelis Peveroni in vico Palumbellæ propè Eccleſiam Sancti Appollinaris.

SUPERIORUM FACULTATE.



VOLATERRANA ADOPTIONIS.

An licitum sit Presbytero Sæculari sibi quemquam in filium adoptare?

SECTIO I.

Jus Divinum, Naturale, atque Humanum: necnon SS.Patres, & Doctores, num obsistant, vel potiùs faveant præfatæ adoptioni?

SUMMARIUM.

1. *Gratum est hominibus habere filios, vel naturales, vel adoptivos. Totaque series facti proponitur.*
2. *Lex* Divina *exemplariter favet dictæ adoptioni. Dan fuit adoptatus à Rachele.*
3. *Alii plures adoptati recensentur. Apud Hebræos cuilibet licebat adoptare præsertim Consanguineos.*
4. *Levir nedùm poterat, sed & tenebatur ducere fratriam suam viduam, filiique ex ea geniti erant ut adoptivi.*
5. *Diversitas generationum, quas referunt D.Matthæus, & D.Lucas, non nisi adoptionibus conciliabilis est.*
6. *S. Joseph fuit filius carnalis Jacob, legalis verò Heli. Et quomodo res ista se habuerit?*
7. *Salathiel in genealogia Christi memoratus, fuit filius naturalis Jechoniæ, & adoptivus Neri.*
8. *Lex* Naturalis *quoque favet adoptionibus filiorum. Adoptio qualitèr se habeat ad naturam?*
9. *Etiam* SS. Patres *adprobant adoptiones. Agitur de adoptione filiorum Dei. Et de filiatione adoptiva Christi.*
10. *Nullus SS. Patrum excludit Presbyteros sæculares à potestate adoptandi sibi filios civilitèr.*
11. *Neque ulla Lex* Humana. *Permissum autem censetur id, quod Jura non interdicunt.*
12. *Innuuntur multi, quibus Leges prohibent, ne sibi filios valeant adoptare.*

13. *Mulieres adoptare prohibentur: nisi speciales quædam qualitates, & circumstantiæ in eis concurrant.*
14. *Argumentum negativum in præsenti casu validum est. Simili argumento usus est quandoquè D. Paulus.*
15. *Adoptio non resonat in vitium, sed refertur ad virtutem Charitatis, quæ major est aliis virtutibus.*
16. *Multi Doctores, tam Theologi, quàm Jurisconsulti, sentiunt, Presbyterum posse sibi filium civilitèr adoptare.*



Ratum esse solet hominibus propriam familiam propagare filiorum productione, qui sint solatium, *& baculus senectutis eorum* (1). Neque hoc sanè absque ingenti ratione contingit. Quippè cum sobolis productionem ipsa quoque animalia rationis usu carentia naturalitèr appetere dignoscantur, quid mirum, si & homines hoc ipsum foveant desiderium, generatione carnali complendum, si fieri valeat; sin minùs, arte, ab humanis legibus approbata, nempè adoptione? *Scire* namque *oportet*, inquiebat quidam, *dulce filii nomen facere, ut qui naturalem ex se habere non potest, ex alienis sæpè adoptet* (2). Hoc igitur impulsu ductus Rev. D. Dominicus Hyacinthus Cortesius Presbyter sæcularis Volaterranus ultimus ex sua familia, filiis legitimis, & naturalibus destitutus, adoptare sibi exoptat in filium legalem D. Antonium Hieronymum Ranierum suum ex sorore nepotem. Idque sibi permitti auctoritate Sedis Apostolicæ deprecatur. Sanè hoc posse per eum licitè ad effectum perduci, si alia quælibet sufficiens, & opportuna ratio deesset; ipsa sola ratio negativa sufficeret ad probandum: nempè quod nulla Lex, neque Divina, neque Naturalis, neque Humana interdicit Sacerdotibus sæcularibus filios adoptare. Permissum autem cunctis hominibus intelligitur, quod nullius legis articulo prohibetur (3).

2. Lex, inquam, *Divina* non id prohibet: nullum etenim est apicem in libris Biblicis reperire, inhibentem Presbyteris sæcularibus adoptionem, neque activam, neque passivam. Quinimò potiùs paginæ scripturales exemplariter cunctis hominibus adoptare, & adoptari, nulla facta limitatione permittunt: approbantibus id multimodis adoptionum eventibus in utroque Testamento relatis. Etenim Rachel filiis destituta, dixit Jacob viro suo: *Habeo famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex illa filios* (4). Concepit ancilla, & peperit filium super genua Rachel, quæ appellavit illum Dan: & hoc modo ipsum sibi adoptavit in filium: uti explicant Nicolaus de Lyra, Benedictus Pererius, Alphonsus Tostatus (5) & communiter Scripturales, hunc textum exactiùs perpendentes.

(1) *Tobiæ cap.5. num.23.*

(2) *Gonzal. in cap. Si qua n.5. de cognat.legal.lib.4. fol.125.*

(3) *Leg. Necnon §. Quod eis ff. ex qui causs.major.l.1. cum ibi not. ff. de test. Barbos. axioma 178. n.1.*

(4) *Genes.cap.30. num.3.*

(5) *Lyran. Pereir. & Tostat. in Genes. loc. cit.*

3. Suc-

3. Successivè idem Jacob sibi adoptavit in filios, Ephraim, & Manassen, natos ex Joseph filio suo, dicens ei: *Duo filii tui, qui nati sunt tibi in Terra Ægypti &c. mei erunt. Ephraim, & Manasses sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem, quos genueris post eos, tui erunt* (6). Neminem quoque latet historia filię Pharaonis, quæ puerum è Nilo extractum *adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses* (7). Sed & Mardocheus sibi adoptavit in filiam Esther, natam ex ejus fratre (8). Denique Machir adoptionis sibi jure coniunxit Segub, ex illius filia procreatum (9). Et quidèm apud Hebræos adoptiones liberè locum habebant. Nam *licèt non adoptarent personas omninò extraneas à familia, ex cognatione ipsorum; adoptiones tamèn, quæ in hæredem instituerent aliquem propriæ familiæ, & cognationis, erant in usu: & id conformitèr ad legem Numerorum, nè hæreditas transiret de una Tribu in aliam* (10).

(6) *Genes. cap.* 48. *num.* 5.
(7) *Exod. cap.* 2. *n.* 10. *Act. Apost. cap.* 7. *n.* 22.
(8) *Esther. cap.* 2. *num.* 7. & 15.
(9) *Alphons. Tostat. in Paralip.* 1. *cap.* 2. 21. *qu.* 20.
(10) *Capisuc. controvers.* 11. §. 10. *vers. Et licet*.

4. Ad hæc notissimum est, quòd apud Israelitas, nedùm poterat, sed & debebat Levir, sive unus frater ducere in matrimonium fratriam, sive conjugem superstitem fratris sui defuncti sine filiis, ad suscitandum semen fratris sui morte sublati, juxtà sanctionem in Deuteronomio prescriptam (11): non primum tantùm, sed & secundum, tertium, atque quartum &c. fratres ordinatìm obligantem, qui proximior succederet fratri defuncto (12). Tanta quidèm, ac tali exigentia, ut si Levir fratriam ducere detrectaret, contumeliis exprobratus infamiæ notis affici mereretur (13). Hujusmodi autem fratriæ desponsatio, & generatio filiorum, qui familiam defuncti fratris propagarent, erat *quoddam genus adoptionis legalis*, inquit sapientissimè Divus Thomas (14). Hocque quantum ad res veteris Testamenti.

(11) *Deuter. c.* 25. *num.* 5.
(12) *Cornel. à Lapid. in Deuter.* 25. *num.* 5. §. *Hinc sequitur*.
(13) *Idem ibi n.* 8. & 9.
(14) *S. Thom.* 3. *p. qu.* 31. *art.* 3. *ad* 2.

5. Quo autèm ad illas, quæ in novo Fœdere descriptæ sunt; perpensione dignum est, quod S. Matthæus in Evangelio, à Jacob patre D. Josephi usque ad David (ordine retrogrado procedendo) enumerat viginti quinque generationes. At verò S. Lucas à Levi fratre uterino Jacobi usque ad eundem Davidem triginta octo recenset. Quæ numeri discrepantia non parvam exhibet difficultatis materiam, vix aliter dissolubilem, sive conciliabilem, quam ministerio adoptionum. Itaùt *si dicatur, Patres, ac filios à Luca recensitos, quosdam esse naturales, alios verò legales, faciliùs appareat potuisse contingere excessum illum in personis à Luca descriptis, super his, qui describuntur à Matthæo* (15). Quam sanè distinctionem satis innuit uterque Evangelista: dum eorum alter in recensenda Christi genealogia utitur verbo *genuit*: alter verò adhibet dictiones, *qui fuit* (16). Namquè *Matthæus ponit,* genuit, *quia carnis solùm successiones numerat. Lucas non* genuit, *sed,* qui fuit, *inquantum designat, se etiàm adoptivos interponere filios* (17).

(15) *Capisuc. controvers.* 11. *de Geneal. Christ.* §. 10. *vers. Respondetur.*
(16) *Matth. cap.* 1. *Luc. cap.* 3.
(17) *Lyran. in Luc.* 3. & *in Matth.* 1.

6. Erant porrò uterini fratres Jacob, & Heli, ex eadem ma-

tre Jeſca nati, quæ duobus ſucceſſivè nupſerat viris, nempè primò Mathan, & ſecundò Melchi (18). Heli duxit uxorem ejus relictam, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, juxta legem Deuteronomii, & ex illa natus erat Joſeph: qui propterea dicitur filius Jacob naturalis: filius autem legalis Heli (19). Hancque ſententiam tenent Sancti Juſtinus (20), Hieronymus (21), Ambroſius (22), Joannes Damaſcenus (23), Gregorius Nazianzenus (24), Auguſtinus (25), & alii Patres, atque Sacræ Scripturæ Interpretes. Igitùr S. Joſeph Sponſus Beatiſſimæ Virginis fuit filius naturalis, & carnalis Jacob; filius verò legalis Heli. Et Lucas in genealogia Chriſti *demonſtravit, non ſe ideò dixiſſe Joſeph filium Heli, quod de illo ſit genitus, ſed quod ab illo fuerit adoptatus* (26).

7. In eodem catalogo antenatorum Salvatoris ſecundum carnem, refertur Salathiel: quem fuiſſe filium Jechoniæ, inquit Sanctus Matthæus. At verò S. Lucas de illo ait, *qui fuit Neri*. Ac utraque hujuſmodi recenſio, tametsì literaliter diſcors, realiter tamèn vera eſt, habita ratione adoptionis (27). Quandoquidèm *Salathiel fuit filius naturalis Jechoniæ, ſed fuit filius Neri adoptivus. Quia mortuo Jechonia, Nerus adoptavit eum in filium. Et ideò Matthæus, qui deſcribit generationem Chriſti carnalem, poſuit Jechoniam. Lucas, qui magis deſcribit genealogiam ſpiritualem, ponit iſtam Neri* (28). Adoptiones ergo approbant utriuſque Teſtamenti paginæ, adeoque Jus divinum, tam in veteri, quam in novo Fœdere patefactum. Cumquè nullam ſpeciem perſonarum ab ipſis adoptionibus excludat, non laicos, non ſacros viros; non ſæculo addictos, non Dei cultui mancipatos: non deniquè ad Ordinem Leviticum pertinentes, neque Clericali, aut Presbyterali gradu inſignitos; dicendum eſt, Jus divinum nullatenùs obſtare, quinimò potiùs exemplaritèr, & ſaltèm negativè favere, quod ipſæmet adoptiones ritè valeant à Sacerdotibus quoque ſæcularibus, non ſecùs ac à cæteris hominibus, celebrari.

8. Pariter *Lex Naturalis* Presbyterorum ſæcularium adoptionibus non obſiſtit. Quælibet namque adoptio, & à quocumquè celebrata, potiùs eſt juri naturali conſentanea, quam infeſta. Nam ipſamet adoptio naturam imitatur (29): naturæ ſimilitudo eſt (30) & manuducitur à natura (31). Deniquè adoptatus, tametſi filius naturalis non exiſtat; nihilominùs intrà fines adoptionis ità ſe habet, ac ſi filius naturalis exiſteret (32). Cum ergò adoptio naturam obſecundet, eique conſona ſit, analogica, & ſimilitudinaria ratione; nil mirum, quod omnium gentium moribus ubique fuerit comprobata. Hinc D. Auguſtinus (33): *Uſitatiſſimum, atque facillimum eſt, patrem cujuſquam non tum tantùm dici, à quo genitus; ſed etiàm eum, à quo fuerit adoptatus. Neque enim adoptionis vinculum apud Antiquos, alienum ab eorum moribus fuit: cum etiam fœminas inveniamus*

adó-

(18) *S. Thom. 3. p. qu. 31. art. 3. ad 2.*
(19) *Suarez in 3. par. S. Thom. to. 2. qu. 27. art. 1. diſput. 2. ſect. 3. §. Sed.*
(20) *S. Juſtin. qu. 131. ad gent.*
(21) *S. Hieron. in Matth. 1.*
(22) *S. Ambroſ. in Luc. 3.*
(23) *S. Jo: Damaſcen. lib. 4. cap. 15.*
(24) *S. Greg. Nazianz. in carmin. de Genealog. Salvator.*
(25) *S. Auguſt. retract. lib. 2. cap. 7. 12. & 55.*
(26) *S. Thom. 3. p. qu. 31. art. 3. ad 2. & 3.*
(27) *Euthym. in cap. 1. Lucæ. Joan. Steph. Menoch. in explic. Sac. Script. in eod. cap. 1. Lucæ*
(28) *Capiſuc. controv. 11. §. 10. verſic. Quod.*
(29) *Leg. Adoptio ff. de adopt. §. Minorem Inſtitut. eod. titul.*
(30) *Gajus lib. Inſtit. 5.*
(31) *Hermenopul. in Promptuar. l. 7. tit. 8.*
(32) *Caramuel. Theol. fundamental. l. 1. tit. regul. Jur. civil. reg. 8.*
(33) *S. Auguſt. contr. Fauſtū lib. 3. tom. 6.*

adoptasse sibi filios, non ex utero suo natos: sicùt Sara ex Agar (34) *& Lia ex ancilla sua* (35) *& filia Pharaonis Moysen adoptavit* (36). *Ipse autem Jacob nepotes suos filios Joseph adoptavit* (37)

9. Tàm ergo *Lex Naturalis*, quam & *Sancti Patres* adoptiones hominum approbant, ut ex verbis D. Augustini enitescit. Cui adde SS. Justinum, Hieronymum, Ambrosium, Joannem Damascenum, & Gregorium Nazianzenum, paulò superiùs recensitos (38). Ac quoniàm adoptionis nomen, atquè significatio transfertur ab humanis ad divina, & à Jurisconsultis ad Theologos (39); hic non est omittendum, quod plurimi Ecclesiæ Patres de adoptione sermonem habentes, eam se approbare patefaciunt, nedùm *directè* de ipsa prout est in hominibus differendo; sed etiàm *indirectè*, afficiendo Christifideles qualificatione filiorum Dei adoptivorum. Qua de re pluries quoque Apostolus in suis Epistolis (40). Adhùc & de adoptione hominum prolixè tractatum fuit per 300. circiter Patres congregatos in Concilio Francofordiensi (41) occasione impugnandi Elipandum Archiepiscopum Toletanum, & Felicem Episcopum Urgelitanum, effutientes, Christum non esse dicendum filium Dei proprium, sed adoptivum (42). Undè nata est celebris quæstio apud Theologos: nùm Christus, reduplicativè ut homo, appellari valeat filius Dei adoptivus, nec nè (43). De qua etiam sacræ Scripturæ Interpretes differunt luculenter (44). Nec verò illam facile discutere, nec itidem definire benè norunt, qui humanæ adoptionis nesciunt quidditatem.

10. Ergò & Sancti Patres de adoptione loquuntur. Ex quibus D. Ambrosius inquit: *Adoptio potestatis est, generatio proprietatis* (45). Similiter Gilibertus Abbas hæc habet: *Ubi major est in adoptione dignatio, ibi justior in subjectione devotio* (46). Et adhùc magis propriè ad rem nostram Divus protulit Augustinus; *Multi homines, cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi: & voluntate faciunt quod natura non potuerunt* (47). De adoptione tandem profert multa doctissimè D. Thomas, ejus definitionem, & divisionem recensens, & qualitates tam in adoptante, quam in adoptato requisitas (48): præter ea, quæ protulisse superiùs vidimus de D. Joseph Heli filio legali, seu adoptivo (49). Nec ipse vero, nec quisquam Sanctorum Patrum, facultate agendi adoptionem, quæ imitatrix est naturæ, destitutos esse Presbyteros sæculares usque ad hæc tempora pronunciavit. Adeoque Patres ipsorum adoptioni favere dignoscuntur, si non positivè, saltèm negativè.

11. Denique nulla *Lex Humana*, Ecclesiastica, vel civilis, hoc idem sæcularibus Presbyteris interdicit. Et cessante lege prohibitiva, venit ex consequenti permissio illius actionis, quam lex non statuit inhibendam (50). Eo vel maximè quod Jura potiùs pluribus in locis integram libertatem concedunt hominibus adoptandi

(34) *Genes. c.* 16. *n.* 2.
(35) *Genes. c.* 30. *n.* 3.
(36) *Exod. c.* 2. *n.* 10.
(37) *Genes. c.* 48. *n.* 2.
(38) *Vide hic supra §.* 6.
(39) *Joan. Altenstaig. Lexic. Theolog. verbo Adoptare.*
(40) *Roman. c.* 8. *n.* 15. *& cap.* 9. *n.* 4. *Galat. cap.* 4. *num.* 5. *Ephes. cap.* 1. *n.* 5.
(41) *Concil. Francoford. ann.* 794. *Vid. Bail. Labbe, aliosque Collectores Conciliorum.*
(42) *Card. Baron. ann.* 794. *n.* 1. 12. *&c.*
(43) *Card. de Lugo de incarn. disput.* 31. *sect.* 1. *Peñafiel. eod. tit. disput.* 2. *sect.* 2. *Castil. de filiat. Christi to.* 1. *disput.* 17. *qu.* 1. *par.* 1.
(44) *Sherlog. to.* 3. *in Cantic. cap.* 5. *n.* 10. *vestig.* 32. *& alii in Matth. c.* 16. *n.* 16. *& cap.* 17. *num.* 25. *ac in Hebr. c.* 1. *n.* 2. *&* 5.
(45) *S. Ambros. de fide Orthodox. lib.* 4. *cap.* 4. *to.* 4.
(46) *Gilibert. Abbas serm.* 14. *in Cant. inter Oper. S. Bernard. tom.* 2.
(47) *S. August. tr.* 2. *in Joan.*
(48) *S. Thom. in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 2. *art.* 1.
(49) *S. Thom.* 3. *par. q.* 31. *art.* 3. *ad* 2. *&* 3.
(50) *Barbos. tr. var. axiom.* 178. *num.* 1.

ſibi filios, nullatenùs diſtinguendo inter Clericos, & Laicos adoptionem facientes. Nec ſanè prætermiſiſſent primos declarare diſpares à ſecundis, ſi hac in parte Clerici à Laicis diſcreparent. Neque recenſendo multos alios inhabiles ad explendam adoptionem omiſiſſent exprimere nominatìm,& ſpecificè Presbyteros ſæculares, ſi hos quoque judicaſſent, vel agnoviſſent, eſſe adoptionis activæ, aut paſſivæ incapaces.

12. Ità Jura ſtatuerunt, non poſſe quemquam adoptare, neque adoptari, niſi ſit ſui juris: aut alioquin emancipatus à patre, ſivè à ſuo Domino manumiſſus (51). Et meritò: Nec enim,inquit Seneca, *quiſquam poteſt alium in manum ſuam recipere, qui in aliena manu eſt* (52). Ità paritèr decreverunt, ei fas non eſſe filios adoptare, cui deficit facultas naturales filios procreandi (53). Eoque proſpexit Cicero, dùm clamavit: *Quod eſt Pontificis jus adoptionis? nempè ut is adoptet, qui neque procreare jàm filios poſſit, & cum potuit ſit expertus?* (54). Adhuc & Jura ſanxerunt, eum debere adoptandi poteſtate carere, qui non eſt major 25. annis: & qui 18. annorum ætate adoptatum minimè excedit (55). Inſupèr & providerunt, nè inter abſentes celebrari poſſit adoptio: ità ut adoptandus neceſſariò præſens eſſe debeat perſonalitèr adoptanti: prorsùs excluſo quolibet adminiculo procuratoris, ejuſmet adoptati vices ſupplentis (56). Interdixerunt præterea, nè quemquam liceat adoptare in fratrem, vel matrem, aut ſororem; ſed dumtaxat in filium (57).

13. Poſtremò diſtinctè caverunt, ne mulier quemquam valeat adoptare, tùm propter ſexus debilitatem, facillimè periculò deceptionis expoſitam. Tùm quia fæminæ non habent filios in poteſtate: adeoque ne illis obliqua via concedatur, quod rectò itinere denegatur; inhibitum eſt quemquam adoptare,præſertim in linea perfectæ adoptionis, ſeu arrogationis (58): Niſi fæmina, quæ adoptare filium intendit, ſit ſpeciali reſcripto, ſivè privilegio ſupremi Principis communita (59). Vel niſi mulier illuſtratione cæleſti ſpecialiter excitetur ad hoc agendum: quemadmodum Amnia vidua,per Angelum admonita, S. Mamantem Martyrem in ætate infantili parentibus orfatum, ſibi in filium adoptavit (60). Vel deniq; niſi mulier adoptans ſit Principiſſa ſuprema, nullum in terris agnoſcens ſuperiorem reſpectivè ad temporalia. Qua ſanè inſignita qualitate Margarita Regina Daniæ ſibi Henricum Ducem Pomeraniæ in filium adoptavit (61). Joanna quoque I. Regina Siciliæ, ſive Neapolis, in filium ſibi adoptavit Ludovicum I. Andegavenſem (62). Et Joanna II. dicta *Joanella*, itidem Regina Neapolis, tribus diſtinctis vicibus adoptavit, *primò* Alphonſum Aragonium (63): *Secundò* Ludovicum III. Andegavenſem (64): *Tertiò* denique Renatum ejuſdem Ludovici prædefuncti germanum fratrem (65).

(51) *Gonzal. in c.1. num.2. de cogn. legal. tom. 4. Sanchez de Matrim. l.7. diſp.63. num.2. tom.2.*

(52) *Senec. apud Gonzal. loc.cit.*

(53) *S. Thom. in 4. diſt.42.quæſt.2.art.1. ad 4. Molina de juſt. & jur. tract. 2. diſput.227 n.24.*

(54) *Cicer. pro Dom. ſua 220.*

(55) *S. Thom. in 4. diſt. 42. qu. 2. art. 1. ad 3. & 5. Sanchez, & Molin. locis citat.*

(56) *Leg. Neque, & l. Poſt mortem ff. de adop.*

(57) *l. Filius 42. ff. de bon. libert. l. Nec 7. Cod. de hær. inſt. l.13. de probat.*

(58) *Portius l.1. inſtit. tit.11. §. In pluimis num.5.*

(59) *S. Thom. in 4. diſt.42. q.2. art.1. ad 3. Inſtit.tit.de adopt.*

(60) *Metaphraſt. in Vit. S. Mamant. ap. Surium to. 4. die 17. Auguſt.*

(61) *Crantz.l.10.Saxon. cap. 26. & l. 8. Daniæ cap.1.*

(62) *Rainald. ann. 380. num.1. & 11.*

(63) *S.Antonin. p.3. tit.22. cap. 7. Petav. rat.temp.p.1.l.9.c.8.*

(64) *Rainald. ann. 423. n.13.*

(65) *Volater. Geograph. l. 6. Foreſt. in Alfonſ. Rè di Sicil.*

14. Cum

14. Cum itaque nulla lex reperiatur, neque divina, neque naturalis, neque humana, quæ ad hoc individuum peculiare descendat, manifesta interdictione vetandi, ne Presbyteri sęculares valeant sibi filios civilitèr adoptare; sequitur ex consequenti, quod id valeant prò suo arbitrio ad effectum perducere, servatis alias de jure servandis. Nam, ut innuimus ab initio, permissa censentur omnia, quæ non sunt à lege prohibita (66). Hæcque ratio, tametsi negativa, efficacissima nihilominus est in isto casu; Illud etenim, quod non reperitur inhibitum à lege, *non debet superstitiosis prætensionibus præsumi probibitum* (67). Quid plura? Etiam D. Paulus Apostolus opportunè usus est ad suum intentum comprobandum argumento negativo, cum protulit: *Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebant nisi lex diceret, non concupisces* (68).

15. Fovet adhùc potestatem viri ut supra sacris Ordinibus initiati pro adoptione celebrandà, ipsamet adoptionis natura, quæ non in vitium resonat, sed virtutem. Refertur etenim ad virtutem charitatis, de qua S. Thomas: *Aliquis homo adoptat alium sibi in filium, inquantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suæ hæreditatis* (69). Et clarioribus adhuc verbis relativè ad ipsam virtutem, inquit D. Augustinus: *Neque absurdè quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit* (70). Et ita charitatis intùitu Amnia vidua, obtemperans Angelo admonenti, sibi adoptavit in filium S. Mamantem, tunc infantulum, parentibus destitutum, pro Christifide interemptis: qui & ipse postea grandior effectus, fortissimè martyrium consummavit (71): Denique ad eandem virtutem charitatis Patres quoque Concilij Francofordiensis adoptionem retulerunt, dum in eo dictum fuit: *Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet? &c. Adoptivus dicitur cui nihil à patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur* (72). Si igitur adoptare est actum bonitatis, & virtutem charitatis exercere; cur ab exercitio hujusmodi virtutis, quæ aliarum virtutum est major (73) repelli debent Presbyteri sæculares, quos nulla lex, neque humana, neque naturalis, neque divina repellit?

16. Rationibus hucusque recensitis, foventibus jus Presbyterorum sæcularium, pro filiorum adoptione complenda, suffragatur eximie auctoritas quoque Doctorum, tam Theologorum, quàm Jurisconsultorum, ore pleno, (tametsi concise) atque in præcisis terminis conclamantium, id eisdem licere. Inter Theologos numerantur Thomas Sanchez (74), Ludovicus Molina (75), Joannes Azorius (76), Elias Bassæus (77), Martinus Bonacina (78) Silvester Prieras (79) Bartholomæus Fumus (80) Joannes de Tabio (81), Et alii. Inter Jurisconsultos verò sunt

(66) *Tusc. pract. concl. to. 6. lit. P. concl. 198. n. 1.*

(67) *Surd. consil. 173. n. 72. & cons. 222. n. 5.*

(68) *Roman. c. 7. num. 7.*

(69) *S. Thom. 3. p. qu. 23. art. 1. in corp.*

(70) *S. August. de consens. Evangel. l. 2. tom. 4.*

(71) *Metaphrast. in Vit. S. Mamant. ap. Surium to. 4. die 17. Aug.*

(72) *Conc. Francford. ann. 794.*

(73) *1. Corinth. cap. 13. num. 13.*

(74) *Sanchez de Matrim. l. 7. disput. 63. n. 3.*

(75) *Molin. de just. & jur. tr. 2. disp. 227. n. 24.*

[76] *Azor. Instit. Moral. par. 2. l. 2. cap. 18. tom. 1.*

[77] *Bassæus Flor. Theol. v. Matrim. num. 34.*

[78] *Bonac. to. 1. de Matrim. qu. 3. punct. 5. §. 3. n. 3. vers. Quarta.*

[79] *Silvestr. sum. v. Adoptio qu. 5.*

[80] *Fumus sum. Armil. eod. tit.*

[81] *Tabien. v. Impedimentū 6. q. 1. num. 2. in fin.*

Abbas Panormitanus (82), Henricus Ostiensis (83), Angelus Aretinus (84), Franciscus Antonius Sgambatus (85), Marquardus Susanius (86), Imola (87), Mantica (88), Mandosius (89) Ruinus (90), Lotherius (91), & alii. Nec nisi Gregorium Lopez hucusque nobis contigit reperire oppositium sentientem (sed non validis rationibus comprobantem) cum Christophoro Portio: à cujus opinione recedit etiam Jason ejusdem additionarius, recensens, quod celeberrimus Canonista Joannes Andreæ fuit filius adoptivus Presbyteri sæcularis (92).

[82] *Abbas in cap. unic. n.4. de cogn. legal.*
[83] *Ostiens. eod. tit. cap. & num.*
[84] *Angel. Aret. in §. Minorem n.4. ad fin. Instit. de adoption.*
[85] *Sgambat. Instit. eod. tit. §. Sed & illud n.9.10.*
[86] *Susanius de cælibat. Sacerdot. p.1. cap.4. n.12.*
[87] *Imola in l. Si quis posthum. ff. de liber. & posth.*
[88] *Mantic. de conject. ult. volunt. l.11. tit.9. n.32.*
[89] *Mandos. pract. signat. v. Adoptandi indultum.*
[90] *Ruin. consil. 167. ult. numero 1. &c. vol.5.*
[91] *Lother. de re Benef. l. 2. qu. 48. num. 187.*
[92] *Greg. Lopez l.2. Portius in §. In plurimis n. 2. Inst. de adopt. & ibi Jas. vers. Tamen.*

SECTIO II.

Ex Historiis permultis probatur, Presbyterum sæcularem posse sibi filium adoptare.

SUMMARIUM.

17. *Referuntur historiæ S. Riefridi Trajectensis, Valerii Hipponensis, & Acholii Thessalonicensis.*
18. *Alia Nundinarii Barcinonensis. An Episcopus possit sibi filium adoptare?*
19. *S. Benedictus Papa II. adoptavit duos filios Constantini IV. Pogonati Imperatoris.*
20. *Transmissio capillorum alicui significat spontaneam sui submissionem illi exhibitam.*
21. *Ethnici solebant capillos sibi primum abscissos alicui Numini offerre, seu dicare.*
22. *Nazaræi quando, & cur sibi abscinderent capillos? Ab eis venit, quod Clericis recidantur capilli.*
23. *Principes, & eorum filii adoptandi aliis olim tradebantur abscissione capilorum, aut barbæ contactu.*
24. *Pipinus adoptatus à Luitprando Rege prima capillitii refectione: hicque erat mos Christianorum.*
25. *Pogonatus misit capillos filiorum suorum Papæ, ut fierent non ejus filii spirituales, sed adoptivi.*
26. *Papa est pater spiritualis omnium Christianorum: Compaternitas non nisi ex duobus Sacramentis causatur.*
27. *Ostenditur, quod actio Pogonati eo tetendit, ut illius filii evaderent filii adoptivi S. Benedicti Papæ.*
28. *Idem ostenditur de ipsismet filiis Pogonati, & de Pipino a Rege Longobardorum adoptato.*
29. *Trajanus publice adoptatus. Sic & filii Pogonati. Si Papa potest adoptare, poterunt & Episcopi, ac Presbyteri.*
30. *Joannes Papa VIII. adoptavit in filium Bosonem, qui in Concilio Mantalensi proclamatus est Rex.*

31. *Id fecit suasu Ludovici Balbi Imperatoris: hæcque adoptio profuit Bosoni ad Regnum promerendum.*
32. *En solemnis adoptio a Papa facta, suadente Imperatore. Joannes VIII. solebat Principes vocare filios spirituales.*
33. *Boso adoptatus fuit a Papa, ut jura temporalia Sedis Apostolicæ sua strenuitate tueretur.*
34. *Tres aliæ Principum adoptiones a Papis factæ. Si Papæ, ergo etiam Episcopi, & Presbyteri possunt adoptare.*
35. *Bulla Innocentii XII. Nepotismum concernens, supponit Papas posse sibi filios adoptare.*

17. NUnc motiva, intentum conclusionis nostræ stipantia, ex Historiis deducamus. Magni namque momenti est, res per antiquas historias comprobare, docentes, id licite fieri posse, quod jam dudum pluries factum fuisse innotescit. Num aliquis Episcopus unquam sibi hominem quempiam in filium civiliter adoptaverit, nullibi hucusque reminiscimur invenisse. Legimus nihilominus, quod S. Ricfridus Trajectensis S. Fridericum puerum ad se missum benignè suscepit, *& spiritu prospiciens, illum se post decessum suum habiturum in cathedra successorem, ceu filium, & heredem, liberalibus pariter, & ecclesiasticis curavit disciplinis accuratè instituendum* (93). Legimus quoque quod *dispensante Primate Carthaginensi, Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum sibi Coadjutorem adoptavit* (94). Legimus itidem, quod *de Acholio Thessalonicensi Episcopo auctor est Ambrosius, non illum quidem adoptasse sibi successorem, sed ita ostendisse, ita commendasse antè mortem &c. ut non potuerint, quorum eæ partes erant, non illum ei successorem sublegere* (95).

18. Celebris est quoque historia Nundinarii Barcinonensis Episcopi, qui *percupere se paulò ante mortem significavit, ut successor sibi daretur Irenæus, alterius jam urbis Episcopus, quem & hæredem sibi adoptabat* (96). Annuerunt ejus votis Metropolitanus, & Episcopi Comprovinciales. Obstitit verò Hilarus Papa, rem improbans, non quatenùs ad rationem adoptionis: sed quatenùs ad traductionem Irenæi, cum alia jam Ecclesia desponsati, ad Sedem Barcinensem, nisi super dissolutione prioris connubii spiritualis Sedes Apostolica dispensasset: qua de re per nos alibi fusior habitus fuit sermo (97). Habuit ergo S. Ricfridus Episcopus Fridericum loco filii. Potuisset itidem S. Acholius sibi adoptare *successorem*. S. Valerius Episcopus sibi adoptavit *Coadjutorem*. Nundinarius, & ipse Episcopus, sibi adoptavit *Hæredem*. Si aliquem loco filii habere, si *Successorem*, si *Coadjutorem*, si *Hæredem* potuerunt Episcopi adoptare; cur quantùm est in se non potuissent etiam filium adoptare? Quod si filium adoptare possent Episcopi; quantò magis

[93] *Surius in ejus Vit. to. 4. die 18. Julii.*

[94] *Thomass. vet. & nov. Eccles. discipl. p. 2. l. 2. c. 56. n. 1. in Summar.*

[95] *Idem loc. cit. num. 14.*

[96] *Ipsemet Thomassin. ubi supra num. 11.*

[97] *Brasch. de libert. Eccles. to. 3. cap. 17. à n. 20.*

po-

poterit nunc simplex Presbyter sæcularis sibi filium adoptare; servatis alioquin per utrosque de Jure servandis?

19. Pro certo quidem habendum est, Episcopo non deesse potestatem adoptandi sibi filium cum assensu Pontificis: quandoquidem & Papa tantundem potest explere: nec semel tantum, sed & pluries id ad effectum perduxit. Nam S. Benedictus Papa II. sibi in filios adoptavit *Justinianum*, qui postea fuit Imperator, hujus nominis II. cognomento Rinothmetus, ac *Heraclium* ejus fratrem, natos ex Constantino IV. Imperatore, cui fuit pro titulo, Pogonatus. Hic, pater, inquam, eorum hoc ipso intuitu Pontifici transmisit *duos mallones capillorum* forfice detonsos ex vertice ipsorummet Regiorum Principum, uti refert Anastasius Bibliothecarius (98). Quid autem per hos mallones fuerit significatum, hic operæ pretium est perscrutari.

20. Transmissio capillorum erat olim signum spontaneæ subjectionis ad honorandum aliquem ordinatæ (99): ac hodiè quoque idem symbolum refert apud nonnullas Nationes, & præsertim in Anglia: ubi mos est, quod nova sponsa fasciculum suorum crinium sponso transmittat, in signum conjungalis affectus, & subjectionis. Apud Christianos mediæ ætatis inter actus pios hoc idem referebatur, exhibitio, inquam, capillorum. Et ita de quadam nobili fæmina, cui nomen Ermengardis, obsequio devotissimo prosequente B. Deodati Ecclesiam in Lotharingia celeberrimam, leguntur hæc verba: *Ad sacrum piissimi Confessoris Christi Deodati corpus cum devotionis affecta, veniens, eumque apud Deum advocatum habere desiderans, cincinno capitis mei super altare posito, me ipsam cum omnis generis mei posteritate servitio ipsius spontè subjeci* (100).

21. Mos iste fortè in Christianos descendit ab Ethnicis: qui cum primò sibi præscindebant capillos, eosdem solebant alicui Deorum dicare (101) in argumentum obsequii, ac devotæ subjectionis ipsimet Numini per subsequens vitæ curriculum exhibendæ. Refert de Theseo Plutarchus, quod pueritiæ annos egressus, Delphum profectus est, ut Apollini abscissam sibi pro prima vice cæsariem consecraret (102). Et de Virginibus Vestalibus recenset Plinius, eas consuevisse proprii capitis capillitium amputare, atque Deæ Lucinæ solemniter dedicare, appensum arbori lotos, quę inde capillata communiter vocabatur (103). Sic & *apud Græcos Virginum, Puerorumque comæ Deo alicui sacrabantur. Apud Martialem quidem primam lanuginem, comamque Pegaseo posuit, dona sacrata Deo* (104). Et de Nerone refert Svetonius, quod *barbam primam posuit conditamque in aurea pyxide, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit* (105).

22. Domitianus quoque primitias capillorum suorum, in vase aureo constipatas, per manus cujusdam Liberti ad hoc deputati, obtulit.

(98) *Anastas. Bibliot. in Vit. Benedict. II.*

(99) *Cælius Rodigin. antiq. lection. l. 7. cap. 13.*

(100) *Sommier. Histoir. de l'Eglis. de S. Diez cap. 5. f. 71. & 351.*

(101) *Cornel. à Lapid. in Levit. cap. 19. num. 27.*

(102) *Plutarch. in Theseo.*

(103) *Plin. l. 7. cap. 44. in princip.*

(104) *Schildius in notis ad Sveton. in Neron. cap. 12.*

(105) *Sveton. in Neron. cap. 12.*

tulit Deo Æsculapio (106). Alia plura similia documenta subnecti possent; sed hæc sufficiant. Quod Nazaræi, qui erant species quædam Religiosorum apud Hebræos, completo tempore Nazaræatus, raderentur *antè ostium tabernaculi fœderis*, & capillos ponerent super ignem suppositum sacrificio pacificorum (107); hoc significabat, eorum caput Domino consecrari (108). Atque istum ritum fuisse haustum censet S.Cyrillus Hierosolymitanus ab Ægyptiis, traductumque ad Judæos: ut quia mores, quos in Ægypto didicerunt, non facile poterant ab Israelitis avelli; in usus Mosaicos translati Domino famularent (109). Sed & à Judæis ad Christianos transitum fecit abscissio capillorum, seu à Nazaræis præfatis ad Clericos, quibus capillitium amputatur cum primùm Domino in Clericali Ordine dedicantur; *ut qui divinis cultibus mancipati Domino consecrantur; quasi Nazaræi, idest sancti Dei, crine præciso innoventur*, inquit S. Isidorus (110).

[106] *Menoch.trapten. erudit. centur.6. cap.74.*

[107] *Numer.c.6. num.18.*

[108] *Cornel. à Lapid. in Numer. cap.6. num.18.*

[109] *S. Cyril. Hierosol. lib. de adorat.*

[110] *Isidor. de Divin. Offic.*

23. Vigebat olim & usus, ut filii Magnatum adoptandi traderentur alicui sublimi Principi. Atque ità Clodio Crinitus Gallorum Rex filium suum Merovæum natu minorem Ætio Valentiniani III. Imperatoris Duci strenuissimo exhibuit adoptandum (111). Quod fecit quoque Cabades Persarum Rex, filium suum Corsoem Imperatoris Justini I. adoptioni submittens (112). Quinimò & ipsi Magnates, etiàm Regia dignitate fulgentes, interdum sesè simili Regi, vel Magnati subjiciebant legaliter adoptandos: quod fieri solebat Barbæ contactu, vel incisione. Hinc inter Alaricum Gothorum, & Clodovæum Francorum Reges, tractatus pacis propositus fuit: & ut *Alaricus juxtà morem antiquorum Barbam Clodovei tangens, adoptivus ei fieret pater* (113). Sic & de Gregorio Patricio refert Aimoinus, eum convenisse cum Tasone fratre Grimoaldi Regis Longobardorum, quod *Barbam ejus præscindens, juxtà morem antiquorum, eum sibi adoptaret in filium* (114).

[111] *Priscus de Legationib. apud Cabasut. sæcul. 5. fol.194.*

[112] *Procop. de bello Persic. lib.1. Pithæus adversar. subcesiv. l.1. c.1.*

[113] *Aimoin. de gest. Francor. l. 1. cap.2.*

[114] *Idem lib. 4. cap.32.*

24. Sed magis præcisè adoptio solebat antiquitùs celebrari per primam capillitii resectionem, prout liquet ex Paulo Diacono, recensente, quod *Carolus Princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luitprandum direxit*, Longobardorum Regem, *ut ejus, juxtà morem, capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est: multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remisit* (115). Morem hunc vocat mox citatus Aimoinus, *morem fidelium Christianorum* (116). Et hic est mos, cui se fecit uniformem Constantinus Pogonatus Imperator, dum Rinothmeti, & Heraclii filiorum suorum crines primò incisos, sivè *duos mallones capillorum* S. Benedicto Papæ II. transmisit, ut eosdem sibi in filios adoptaret.

[115] *Paul. Diac. de gest. Longobard. lib.6. cap.53.*

[116] *Aimoin. loc. cit. lib.4. cap.57.*

25. Nec dicas, hanc Pogonati operationem eò tetendisse, ut S. Benedictus Papa fieret filiorum suorum, non pater adoptivus, sed pater spiritualis, atque patrinus; adeòque intèr eos excitaretur

compaternitas, & respectivè paternitas, ac filiatio quidem spiritualis, nullatenùs verò adoptio legalis. Non, inquam, id dicas: à veritatis namque tramite devius est, qui taliter interpretatur celeberrimam hanc historiam. Enim vero Pogonatus id facere intendit cum Benedicto, quod intendit facere Carolus Martellus cum Luitprando: necnon id quod mos tunc vigens postulabat, inter homines fieri, cum pater mittebat alteri filium suum, ut ei pro prima vice capillitium resecaret. Sed mos præfatus, & Caroli Martelli operatio, primam crinium incisionem, non ad filiationem, paternitatem, & compaternitatem spiritualem excitandam, sed ad complendam legalem adoptionem perspexerunt, ut ex hucusquè relatis evidentissimè patet. Ergò etiàm actio Pogonati tetendit ad obtinendam à Pontifice, non compaternitatem, paternitatem, & filiationem spiritualem; sed veram, civilem, & legalem adoptionem suorum filiorum.

26. Quinimò res aliter esse non potuit. Nàm Papa est pater spiritualis omnium Christifidelium(117): & uti talis à cunctis Christifidelibus honoratur titulo Beatissimi Patris. Ergò nil opus fuit Pogonato mittere Pontifici capillos filiorum suorum, ut hic eorum fieret pater spiritualis; cùm jam pater spiritualis eorumdem esset ex vi dignitatis Pontificalis. Rursùs compaternitas ad cognationem spiritualem relata, & Patrinos connotans; nonnisi ex Sacramentis Baptismi, & Confirmationis emergit (118): ergò præfata capillorum transmissio, quæ nihil habuit cum alterutro ex hisce Sacramentis commune, non potuit eò esse directa, ut inter Papam, & Imperatorem causaretur compaternitas: nequè ut Pontifex fieret patrinus filiorum Imperatoris, sed solum ut hic evaderet legalis pater, & adoptivus eorum.

27. Ponderat hanc historiam Benedicti Papæ II. ac filiorum Constantini Pogonati Imperatoris, Cardinalis Baronius, & de illa ità loquitur: *Eam his temporibus vides consuetudinem viguisse, ut per hujusmodi exhibitionem capillorum quis alicui offerretur in filium: & qui eos acciperet, patris nomen consequeretur* (119). Totidem ferè verbis sensum suum aperit Severinus Binius, & subdit: *manifestè cognoscitur, quod Imperator Constantinus filiorum suorum capillos Pontifici offerens, voluerit ab iis Romanum Pontificem velut parentem honorari &c.* (120). Consentit recens Scriptor Historiæ Dogmaticæ S. Sedis, Gallico idiomatè scribens: *C'etoit pour marquer pàr cette cèremonié, usiteè dans ces temps là, que ses enfans devoient regarder, & respecter le Pontife Romain comme laur Pere* (121).

28. Hoc igitur symbolo, & incisionis capillorum à Luitprando peractæ, & transmissionis vellerum eorumdem ad S. Benedictum Papam directæ, significata fuit adoptio tùm filiorum Pogonati, tùm respectivè Pipini: de quibus Thomassinus: *quod dicit juxtà*

[117] *Barbos. jur. Eccles. lib.1. cap.2. num.19. & 20.*

[118] *Cap. Quamvis 3. de cogn. spirit. in 6.*

[119] *Card. Baron. ann.684. num.9.*

[120] *Binius to.5. Concil. in Vit. Benedict. II.*

[121] *Sommier. Histoir. Dogmatiq. lib.8. cap.15. to.4. fol.103.*

tà morem, *significat in more tunc fuisse, ut incisa cæsarie filios adoptandos darent* (122). Et alibi; Luitprandus Pipini *cæsa coma, filium sibi illum adoptavit: vicissimque pater illi ipse effectus est* (123). Pater, non patrinus. Adoptavit, non adoptione similitudinaria, referente filiationem spiritualem, seu sacramentalem; sed adoptione vera, significante adoptionem legalem, atque civilem, totoque cœlo distantem à compaternitate, quæ de Sacramentis Baptismi, atque Confirmationis emergit.

[122] *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p.1. lib. 2. cap.39. n.8. §.Sætius.*

[123] *Idem ibi cap.40. num.6.*

29. Igitùr, quemadmodùm de Trajano loquens, declamavit olim ejus Panegyristes: *Tua adoptio, non in cubiculo, sed in templo: nec antè genialem thorum, sed antè pulvinar Jovis optimi maximi peracta est* (124); ità & nos hic opportunè dicamus: non jàm in angulo Mundi, nec per actum haud benè ponderatum, neque methodo inusitata: neque demùm in persona hominis ultimæ sortis, & conditionis obscuræ; sed coràm omnibus, Oriente, & Occidente toto spectante, ad instantiam Imperatoris, qui tunc unicus erat in Orbe, servataque forma per eam ætatem solita in adoptionibus adhiberi; S.Benedictus Papa II. duos Regios Principes, *Rinasbmetam*, & *Heraclium*, sibi in filios adoptavit. Si hoc ritè peregit Pontifex; cur & Episcopis non fas erit idipsum ad effectum perducere, accedente ipsiusmet Pontificis auctoritate? Ac si Pontifex, si Episcopi licitè possunt sibi filios adoptare, cur non & idem poterunt licitè peragere Sacerdotes, fulti paritèr Pontificia permissione?

[124] *Plin. in panegyr. Trajan.*

30. Sequitur alia Pontificalis adoptio, adhùc dilucidior: utpotè non per symbola, & hieroglyficas notas, sed per verba formalia, & cœremoniis legalibus expedita. Joannes Papa VIII. cum plurima humana obsequia, & servitia in opportunitatibus accepisset à quodam primario Principe Gallo, cui nomen erat *Boso*, & majorem indies pro rerum temporalium tutamine ab illius tùm benevolentia, tùm strenuitate speraret; ipsum sibi nominatìm in filium adoptavit (125): quem, & aliquandò in literis vocat *Joannem Bosonem* (126). Hic est ille Boso, cui Antistites Regni Arelatensis, in Concilio Mantalensi congregati, nempè Archiepiscopi sex, & Episcopi septemdecim, Regale nomen, & dignitatem Regiam contulerunt. Extatque adhuc legatio ejusmet Concilii ad Bosonem, & responsio Bosonis ad Concilium super hoc negotio Regiæ dignitatis (127).

[125] *Almoin. de gest. Francor. Card. Baron. ann. 878. num.33.*

[126] *Jo: PP. VIII. epist.7.*

[127] *Apud Sirmond. tom.3. Concil. Gall. à f.496.*

31. De illo scripsit Pontifex Carolo Crasso Francorum Regi (128) individuè recensens, se ad illam adoptionem venisse suasionibus Ludovici Balbi, qui fuit postea Imperator, hujus nominis III. *Cujus*, inquit, *consilio, atque hortatu, Bosonem gloriosum Principem per adoptionis gratiam filium meum effeci: ut ille in mundanis discursibus; nos liberè in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus* (129). Profuit Bosoni hæc adoptio pro illius auspicatione ad Regnum.

[128] *Card. Baron. an. 878. n.33.*

[129] *Jo: PP. VIII. ep.119. Bin. to.7. Concil. Gall. par.1. fol.47.*

Nam

Nàm Patres Concilii Mantalensis in decreto ejus electiouis, hæc inter cætera protulerunt: *Ipse etiàm non tantùm in Galliis, sed & in Italia cunctis enituit, ut Domnus Apostolicus Joannes Romensis instàr filii complexus, ejusdem sinceritatem multis præconiis extulerit, & ad suam tutelam, revertens ad sedem propriam, delegarit* (130).

[130] *Conc. Mantalens. annot.* 879. *apud Sirmond. loc. cit. fol.* 497.

32. En igitùr adoptionem formiter, solemnitèrque peractam à Summo Pontifice Joanne VIII. suadente Imperatore, acceptante Principe, plaudente Concilio. Per quam certè Boso, sive Joannes Boso, non est factus filius spiritualis Papæ; cum jam & ipse talis præcedentèr existeret: ac generalitèr omnes Christiani, absque alia specificatione adoptionis, filii spirituales existant Romani Pontificis, proùt supra notatum est. Atque individuè idem Joannes Papa VIII. esset solitus Principes Christianos, tametsì à se nullatenùs adoptatos, formitèr in suis literis nominare filios spirituales (131). Sed factus est ei filius legalis, civilis, & adoptivus, eo modo, quo cæteri homines adoptati fiunt filii legales, & adoptivi eorum, à quibus adoptantur adoptione civili.

[131] *Joann. PP. VIII. epist.* 1. 7. & *alibi pluries*.

33. Quod sanè convincitur evidentèr etiàm ex fine, propter quem concepta, & consummata fuit hujusmodi adoptio à Papa in persona Bosonis: nempè ut hic Princeps sua strenuitate tueretur jura temporalia Sedis Apostolicæ: ac Pontifex liberiori proposito ad ea, quæ Sacerdotii sunt, posset incumbere. Scripsit enim Carolo Crasso: *Bosonem gloriosum Principem per adoptionis gratiam filium meum effeci, ut ille in mundanis discursibus; nos liberè in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus* (132). Si finis adoptionis fuit totus, & totalitèr temporalis; frigida est illatio, quod produxerit effectum compaternitatis, vel filiationis dumtaxàt spiritualis. Nisi velimus contendere, quod etiàm adoptiones factæ ab utraque Joanna Neapolis, & Margarita Daniæ Reginis (133), aliæque similes peractæ a Principibus, & Principissis, ut haberent Principem aliquem defensorem eorum ditionis temporalis; non veræ adoptiones fuerint legales, & civiles; sed meræ compaternitates, & filiationes spirituales: quod quis audeat effutire?

[132] *Idem Joan. PP. VIII. ep.* 119.
[133] *Vide supra Sect.* 1. §. 13.
[134] *Codex Carolin. epist.* 3.

34. Solebant Papæ, ad retundendas molestias, quibus afficiebantur à Tirannis, respectu ad jura temporalia Sedis Apostolicæ, tutamen alicujus magni Principis invocare, & ad ipsius præsidium fortiùs obtinendum, ita res disponere, ut Princeps accersitus jus aliquale proprium sortiretur in ipsamet temporalitate tuenda: hocque faciebant ope adoptionis. Ità Stephanus Papa II. (postquam Luitprandus Longobardorum Rex jam objierat) *Pipinum* Francorum Regem sibi adoptavit in filium (134). Leo Papa III. idem fecit cum *Carolo Magno*, adoptionem tractante Angilberto ipsius Caroli Nuncio (135). Stephanus Papa III. *Guidonem* Ducem Spoletanum filii sui adoptivi condecoravit honore (136). Ac en hic simùl coadu-

[135] *Epistola Carol. M. quæ est* 84. *inter epist. Alcuini fol.* 1613.
[136] *Flodoard. Hist. Remens. lib.* 4. *cap.* 1.

donatas alias tres adoptiones totidem Romanorum Pontificum. Recurritque jàm tandèm argumentum superiùs enunciatum. Si fas est Papæ sibi filios adoptare; id Episcopis quoque licitum erit, præsertim accedente Apostolico Indulto. Si Papæ, & Episcopis; cur & non Præsbyteris sæcularibus idipsum licitum erit, servatis alioquin de Jure servandis?

35. De aliis quoque Romanis Pontificibus recensetur, quod extraneas personas propriæ inserverint familiæ gentilitiæ; sed adhùc certum apud nos non existit, nùm reverà illos tantum admiserint simplicitèr ad cognomen; an verò ipsos formitèr sibi adoptaverint, seu arrogaverint loco filiorum. Notandum nihilominùs, quod recens Bulla Innocentii Papæ XII. moderatoria concessionis proventuum Ecclesiasticorum nepotibus, & consanguineis Romanorum Pontificum; eos quoque complectitur, quos per Papas *in locum nepotum, aliorumque consanguineorum per cooptationem in familiam, aut alitèr adlegi, seù adsisci contigerit* (137). Supponit ergò eadem Constitutio, quod Romani Pontifices jure, ac potestate sint præditi sibi filios extraneos adoptandi, seù arrogandi. Recurritque denuò argumentum, quod si hoc licitum est Papæ, licitum erit quoque Episcopis. Et si hoc fas est utrisque, nedùm Sacerdotali, sed etiam Pontificali consecratione refertis; multò magis licebit simplicibus Sacerdotibus, unica tantum Presbyterali consecratione sanctificatis. Valet enim illatio à majori ad minus negativè (138).

[137] *Bullarium Innoc. XII. Constit.* 11. §.2.

[138] *Barbos. tract. var. loc.* 67.

SECTIO III.

Proponuntur, & diluuntur tres Objectiones contrà præfatam adoptionem.

SUMMARIUM.

36. Objectio 1. *Quod non possit Presbyter adoptare, quia non ei sit fas perfungi officio Patrini in Sacramentis.*
37. *Nulla Lex generalis hoc officium Patrini Presbyteris interdicit, sed solùm Monachis, ob speciales rationes.*
38. *Ab officio Patrini ad adoptionem non valet consequentia. Majus est vinculum cognationis spiritualis, quàm legalis.*
39. *Non est devium ab Ecclesiastica disciplina fungi officio Patrini, nec adoptare: cum & Papæ adoptaverint.*
40. *Potius eidem consentaneum est, Sacros viros Patrini munus explere: uti docetur multis exemplis.*
41. Objectio 2. *De Lege continentiæ à Presbyteris observanda. Adoptio non in omnibus convenit cum natura.*

42. *Obli-*

42. *Obligatio castitatis est impedimentum casuale in Presbyteris, ne generent filios carnales.*
43. *Impotentes à natura casualitèr inepti sunt ad generandum, nec possunt filios adoptare.*
44. *Adoptio in Presbytero retrotrahitur ad tempus, quo antè Ordinem susceptum poterat filios procreare.*
45. *Retrotractio hæc non haberet locum in nato impotente, vel castrato in infantia: vel in vovente antè pubertatem.*
46. Objectio 3. *Adoptare possunt spadones, at non castrati. Presbyteri verò se castraverunt propter Regnum cœlorum.*
47. *Triplex genus Eunuchorum ex Euangelio. Quod Presbyteri sint velùt castrati: ergò videtur, quod non possint adoptare.*
48. *Castrati adoptare non possunt, sed possunt spadones. Presbyteri autem comparantur spadonibus.*
49. *Etiam non Presbyteri, sed Laici servantes castitatem, assimilantur Eunuchis, & tamen adoptare possunt.*
50. *Prima species Eunuchorum est illorum, qui nati sunt impotentes; & eorundem exempla.*
51. *Secunda species illorum est, qui dissecti fuerunt ab hominibus variis ex causis hìc memoratis.*
52. *Tertia species est illorum, qui seipsos castraverunt, uti fecit Origenes, Leontius Antiochenus, & alii.*
53. *Euangelium loquendo de Eunuchis, solos non connotat Presbyteros, sed omnes castitatem spontè servantes.*

36. OPponet aliquis *Primo* loco, non licere Presbyteris filios sibi legalitèr adoptare, quia non eis est fas pueros de sacro Fonte, vel de Confirmatione suscipere, sive fungi officio Patrini. Magis autem est devium ab Ecclesiastica disciplina, virum in Sacris constitutum, fieri patrem legalem, quàm spiritualem: itidèmque cum extraneis à se contrahere cognationem ab adoptione manantem, quàm provenientem à Sacramento. At si hoc aliquis opponet; nos negabimus suppositum: imò & suppositum suppositi. Suppositum est, quod Sacerdotibus non liceat Patrini officio perfungi, nec in Baptismo, neque in Confirmatione: quod sanè gratis asseritur. Suppositum verò suppositi est, quod aliqua detur lex generalis, interdicens Presbyteris, nè valeant Baptizatos, aut Confirmatos de Sacramento suscipere. Neutrum namquè à parte rei subsistit.

37. Etenim Regularibus quidèm, sive sint Sacerdotes, sive Clerici, seù etiam adhùc Laici, prohibent sacri Canones Patrini ministerio perfungi (139), ob peculiares rationes arcentes Monachum à sæcularibus negotiis, & à conversatione cum laicis, viris, atque mulieribus. Monachi enim est solitudinem colere, seorsim ab homi-

(139) *Brancat. Epit. Canon. v. Patrinus num. 6.*

minibus consistere: deniquè illius *officium est sedere, & tacere* (140). Adeòque ipsius status opponitur exercitio spondendi pro Baptizatis, & Confirmatis, atque libertati conversationem habendi cum parentibus istorum. At Clericis sæcularibus, etiam constitutis in Sacris, & Presbyterali Ordine insignitis, nulla lex, nullus Canon generalis inhibet suscipere de Sacramento Baptizatos, aut Confirmatos. Quod si aliqua in Diœcesi hoc interdicitur; ea est lex synodalis, & municipalis, fines non excedens illius loci: & ibi quoquè non arcens absolutè Presbyteros ab officio Patrini, sed limitatè, ad solum casum deficientiæ consensus Episcopi Diœcesani; qui perpensis circumstantiis rerum, & personarum, in actibus practicis judicet, an licentia sit concedenda, vel non.

[140] *Cap. Placuit cap. Si cupis 16. qu. 1. S. Bernard. epistol. 397. quæ est 280. inter epist. Ivon. Carnot.*

38. Cæterùm à susceptione in utroque mox recensito Sacramento, ad humanam adoptionem, consequentia ex alio quoquè capite non tenet: nempè quià argumentum à majori ad minus procedit: quod non afficit in dispensationibus, & privilegiis (141). Enim verò majus est vinculum cognationis spiritualis, quàm legalis. Inquit enim Canon: *Ità diligere debet homo eum, qui se suscipit de sacro Fonte, sicut patrem &c. Si ergò inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit; quanto potiùs à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit* (142). Quidquid sit igitur, nùm prohibeatur, necnè, viris, qui constituti sunt in Sacris, Patrini ministerio perfungi, quod est quid majus; non indè infertur, quod eis quoquè sit interdictum, sibi filios legalitèr adoptare, quod est quid minus.

[141] *Barbos. tract. var. loc. 67. n. 6.*

[142] *Cap. Ità diligere 30. qu. 3.*

39. In reliquis perperàm contenditur, quod adoptari filios à Clericis sæcularibus, constitutis in Sacris: & Patrini munus obire in Baptismo, aut Confirmatione, sit devium ab Ecclesiastica disciplina: neutrum etenim in rei veritate subsistit. Non primum propter rationes hucusque recensitas. Et certè devium ab Ecclesiastica disciplina esse non potest id, quod ipsimet Romani Pontifices, exhortantibus, petentibus, & respectivè se adoptandos præbentibus, magnis Principibus, & Regibus: atque plaudentibus Patribus in Concilio congregatis: nullo demùm improbante usque ad nostra tempora; personalitèr compleverunt: proùt egisse Joannem Papam VIII. cum *Bosone*, sive Joanne Bosone Comite: Stephanum II. cum *Pipino*: Leonem III. cum *Carolo Magno*: Stephanum VI. cum *Guidone* Spoletano. Denique S. Benedictum II. cum filiis Imperatoris Pogonati, vidimus paulò supra.

40. Nec paritèr subsistit secundum: quia potius Ecclesiastica disciplina, quando magis efflorebat, nimirùm per antiqua sæcula, deposcebat, ut Diaconi Baptizatos de sacro Fonte susciperent (143). S. Basilius optavit se Posthumianum de Baptismi Sacramento levasse (144). S. Epiphanii Patrinum in regeneratione baptismali fuisse

[143] *Const. Apost. lib. 3. cap. 16.*

[144] *S. Basil. epistol. 128. ad Posthumian.*

Lu-

Lucianum Presbyterum, testis est Metaphrastes (145). Theodorici Regis Francorum, Regnemodus Episcopus (146): Theodosii II. Imperatoris, Severianus Gabalensis Antistes (147): Justiniani natì ex Mauricio Cæsare, S. Gregorius tunc Diaconus Cardinalis, patres spirituales fuerunt (148). Denique in Ecclesia Mediolanensi olim non nisi Canonici ordinarii Baptizatos solebant ex unda salutari suscipere (149). Nedùm ergò non devium, sed imò potiùs consentaneum est Ecclesiasticæ disciplinæ, Clericos sæculares in Sacris constitutos, Patrini ministerio persungi.

41. Opponet aliquis *secundo* loco Legem Continentiæ observandæ, quæ adstringit cunctos Clericos Latini ritus, in sacris constitutos, & cum qua non est compatibilis procreatio filiorum per legitimas nuptias. Quandoquidem denique adoptio est operatio imitatrix naturæ (150); Si Presbyteris sæcularibus nō est fas gignere filios naturales, permissū quoque illis non erit sibi eosdem per viam adoptionis adsiscere, quæ est quædam generatio artificialis, seu legalis (151). Verùm hæc oppositio nihil prorsùs concludit: eo quia tametsi adoptio quoad plures Juris effectus conveniat cum natura; quoad plures alios nihilominus viceversa disconvenit ab eadem (152). Et citra dubium filiatio vera prævalet fictæ (153). Quidquid igitur sit de similitudine inter generationem carnalem, & adoptionem civilem vigente; non ideò benè infertur, quod sicut Presbyter sæcularis non potest filios naturales legitimè procreare; ita quoque non valeat similitudinarios sibi legaliter adoptare.

42. Quantùm verò ad obligationem servandæ Continentiæ, respondent Doctores duce Angelo Aretino, eam respectu ad præsens negotium nullum Jus facere, sive non habere vim legis, sed simplicis impedimenti, provenientis non à vitio intrinseco naturæ Presbyteros sæculares inhabiles reddente ad generationem legitimam filiorum carnalium, sed à casuali, & merè accidentali defectu extrinseco, illos distinente ab exercitio, sive à perductione ad actum illius potentiæ, cujus prædita est natura ipsorum respectu ad procreationem filiorum (154). In eodemque sensu est ex Theologis, inter alios Ludovicus Molina, sentiens & ipse non prohiberi Clericis in Sacris constitutis filios legales adoptare; quia obligatio servandæ, castitatis est impedimentum superveniens in eis accidentaliter, & extrinsecùs à natura (155).

43. Et optima quidem est hæc ratio Doctorum sic eloquentium, sed non ita est ratio rationis qua utuntur. Nam inniti faciunt potissimè suam doctrinam §. *Sed & illud Instit. de adopt.* cujus verba, in suo vero sensu capta, optimè concludunt, vitium accidentale vigens in adoptante, impedimentum actui legalis adoptionis inferre (156). Hinc tametsi merè causaliter se habeat, quod nonnulli homines nascantur frigidi, & impotentes ad generationem car-

[145] *Metaphrast. in Vit. S. Epiphan.*
[146] *S. Gregorius Turon. Hist. Franc. lib.* 6.
[147] *Adorien. in Chronic. du Cang. in Famil. Bizant.* 4. *num.* 6.
[148] *Card. Baron. ann.* 590. 2. *n.* 8.
[149] *Jos. Vicecom. de ant. Baptis. rit. cap.* 33.
[150] *Leg. Si Pater §. ultim. cum leg. seq. ff. de adopt.*
[151] *Sanchez de Matrim. l.* 7. *disput.* 63. *num.* 1.
[152] *Gonzalez in cap.* 1. *n.* 4. *de cognat. legal. lib.* 4. *tom.* 4.
[153] *Pagnan. in cap. Cum simus* 14. *n.* 6. *de Regular. lib.* 3.
[154] *Angel. Aret. in l. Si quis posthumos num.* 4. *ff. de liber. & posthum. Jason. loc. paulò infrà citand.*
[155] *Molin. de just. & jur. tr.* 2. *disp.* 227. *num.* 24. *tom.* 1.
[156] *Mantic. de contr. ult. volunt. lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 32.

carnalem (157): de quibus fit sermo etiam in Evangelio, ibi: *Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt* (158); Tamen hi nullatenus valent filios legaliter adoptare (159). Ac idcircò cum Henricus IV. Rex Castellæ, cognomento Impotens, filiam sibi natam esse contenderet (quam communis hominum opinio, partum esse suppositititium reputavit) nata hæc Infantissa non ejus valuit successionem Regiam adipisci, nec velut filia naturalis, quia Rex frigiditatis, & impotentiæ præjudicium patiebatur: neque tamquam filia adoptiva, quia frigidi, & impotentes adoptare filios non possunt. Atque ita Corona Henrici post ejus obitum, ad caput Isabellæ migravit, uxoris Ferdinandi V. Catholici Regis Aragonum, & Sororis ipsiusmet Henrici (160): cum propinquiores masculi ex Regio Castellano Stemmate non adessent.

44. Ergo lex Continentiæ observandæ, tametsi faciat, quod *simul, & semel* (prout loquuntur Jurisconsulti): seù *in sensu composito* (prout ratiocinantur Theologi) non valeat Presbyter sæcularis eodem tempore, tùm servandæ continentiæ debito satisfacere, tùm & filios sibi legaliter adoptare; potest tamen *in sensu diviso*, & per *actus disparatos*, ad tempora diversa relatos, utrumque opus explere (161). Nam proculdubio Presbyter, cessante, ut supponimus, frigiditatis impedimento, potuit filios carnales naturaliter generare, antequam per sumptionem Sacerdotii sese lege servandæ castitatis adstringeret. Ergo semper, & quandocumque donec in vivis est, & quantumvis continentiæ vinculis alligatus, potest filios sibi legaliter adoptare: quia sicut actus adoptionis fictione Juris adoptantem facit evadere patrem adoptati, non secus ac si ex marito, & uxore legitimè natus esset (162); sic & fictione Juris facit in Presbytero adoptante, adoptionem retrotrahi ad tempus Sacerdotio præcedens: quo tempore concurrebant in eo & facultas, & honestas filios procreandi (163). Fictio etenim in casu ficto idem operatur, quod veritas in casu vero (164).

45. Sanè locum habet hæc retrotractio in Presbytero, quia iste quandoque fuit in statu, quo virtutem generativam filiorum potuit carnaliter exercere. Conticesceret verò ipsamet retrotractio, si nunquam adfuisset ei tempus habile ad generationem explendam: uti si fuisset ab utero matris impotens natus, & perpetuò frigidus, quemadmodùm contigit Henrico IV. Regi Castellæ mox memorato. Vel si factus fuisset eunuchus in ætate infantili, prout accidit Guillelmo III. dicto *Guglielmino*, Regi Siciliæ, quem Henricus VI. cognomento Asper Imperator, & itidem Rex Siciliæ, captum, atque in Germaniam transmissum, fecit infantulum evirari (165). Aut si votum castitatis emisisset ante annos pubertatis: non secus ac emisit Sancta Euphrasia virgo (166). Vo-

[157] *Ludov. Molin. loc. cit.*
[158] *Matth. c. 18. num. 12.*
[159] *S. Thom. in 4. dist. 42. qu. 2. art. 1. ad 4.*
[160] *Marian. Forest. & alii in Henric. 4. Reg. Castel.*
[161] *Sgambat. in lib. 1. Just. tit. 11. de adopt. §. Sed & illud num. 12.*
[162] *Leg. 1. l. Si quis 15. qui ff. de adopt. l. 3. ff. de offic. proconsul.*
[163] *Jason. addit. ad Portium in §. Pluribus Inst. de adopt. v. An Clericus. vers. Tamen contrà. Lotter. de re Benefic. lib. 2. q. 48. n. 187. Sgambat. loc. cit. n. 11. & 12.*
[164] *Leg. Gallus §. Et quid. l. Filio. ff. de liber. & posthum.*
[165] *Rainald. ann. 1198. n. 65. Brasch. de libert. Eccl. to. 2. cap. 31. num. 9.*
[166] *Vide Vitam S. Euphrasiæ.*

tum, quod Synodus Trullana emitti posse approbavit etiam ab agente solum decimum ætatis annum (167). In his, inquam, tribus casibus non esset locus retrotractioni adoptionis, quippè adoptans nunquam fuisset in statu, quo justis nuptiis posset filios carnaliter generare.

[167] *Conc. Trullen. ann.* 692. *c.* 40.

46. Opponet aliquis *tertio* loco, dicens; Retrotractio adoptionis ad tempus nondum assumpti præcepti observandæ Continentiæ, non suffragatur Presbytero sæculari, ad effectum legaliter adoptandi filios post Sacerdotalem Ordinem jam adeptum, etiam accedente Pontificia dispensatione: quia hujusmodi retrotractio non habet locum in Castratis. Jura etenim permittunt quidem adoptiones fieri posse à Spadonibus, at neutiquam à Castratis (168). Sed Presbyteri per assumptionem sacri Ordinis *seſe castraverunt propter regnum cælorum*, prout scriptum legitur in Evangelio (169). Ergo partem suam habere debent cum Castratis: adeoque sicut inter inhabiles ad carnalem generationem computandi sunt; ita quoque inhabiles reputari debent ad propagationem civilem, sive adoptivam filiorum.

[168] *Instit. de adopt. & ibi Oinotim. l.* 1. *tit.* 11. §. *Minorem n.* 5.
[169] *Matth. c.* 19. *num.* 12.

47. Profectò Christus in eodem Evangelii loco, illos qui continentiæ legibus adstricti sunt, æquiparat Eunuchis, & Castratis, inquiens: *Sunt Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum* (170). Quam quidem æquiparationem admittunt S. Augustinus (171) S. Epiphanius (172) S. Fulgentius (173) & alii Patres, ac Interpretes Scripturarum. Igitur Sacerdotes, tamquam adstricti debito continentiæ observandæ, atque spiritaliter *castrati propter regnum cælorum*, ac proindè cum veris Eunuchis, & Castratis æquiparati, nec etiam fictione Juris, & retrotractione ad tempus præcedens promissionem servandæ castritatis, juvari possunt pro filiorum adoptione complenda: quemadmodum fictio, & retrotractio præfata veris Castratis, & Eunuchis minimè suffragatur.

[170] *Matth. loc. citat.*
[171] *S. August. lib. de Sanct. Virginit. cap.* 30.
[172] *S. Epiphan. hæres.* 58.
[173] *S. Fulgent. lib. de fid. ad Petrum cap.* 3.

48. Respondetur primò retorquendo argumentum. Nam intantùm secundum Jura, Castratis non est permissum adoptare filios legales (174) quia pro Castratis intelligunt frigidos, & impotentes ad concubitum, natos tales, non factos; & qui nec sunt, nec unquam toto vitæ suæ tempore fuerunt in statu, quo per exercitium copulæ maritalis dare potuerint operam procreationi filiorum carnalium. Permissum verò est Spadonibus, quia isti, tametsi sectione hominum fuerint evirati; tamèn antè sectionem fuerunt in statu, quo poterant filiorum generationem explere; ac proindè adoptio quam nunc celebrant, fictione juris ad tempus retrotrahitur prævium abscissioni. Porrò fictio semper fundatur super aliqua re possibili. Est autem possibile, quod Spado, ante quàm humana opera evi-

[174] *Leg.* 2. *ff. de adoption.*

1. Braschius Jo: Bapta. De Adoptione Civili Dissertatio. Romæ 1719.
2. Thalwitzer Joan. Augustus Hieronymus. De obligatione utriusque Siciliæ Regis tributum annuum ex nexu clientelari Regni Neapolitani cum Ecclesia R. Pontifici de more solito ulterius præstandi Dissertatio. [illegible]bergæ sin. an.
3. Dissertatio justitiæ, et juris sententiæ prolatæ in causa Dr. Faustini a S[illegible] la Biserlienci. Salmanticæ 1750.
4. Moerlinus Christ. Godofredus. Dissertatio moralis: an et quatenus fil. familias Senatusconsulto Macedoniano utentes suis Usint in conscientia? Lipsiæ sin. an.
5. Rauschius Eckardus. De Christo Herede Scripto. Commentatio. Helmstadii 1716.
6. Friesen Joan: Bernardus. Disputatio de Christo Servatore Herede instituto. Jenæ 1703.
7. Bebek Emmanuel. De vindiciis adversus Legatum Delinquentem. Giessæ-Hassorum 1698.
8. Cramer Joh. Ulr. De pari jure Civitatum Imperialium ac Gentium liberarum in recipiendis Legatis. Marburgi 1740.
9. Trauendorff Andreas. De Schrift sassiis Disputatio inauguralis. J[illegible]næ 1667.
10. Wirth Petrus Ant. Augustus. De triplici remedio salutari calumniis ac temerariis libellis præcavendis. Altdorfii 1746.
11. Schneider Benjamin. De nobilioribus materiis juris naturæ. Giessæ Hassorum 1699.
12. Maess Michael. Conclusionum juris ad institutiones Justiniani Decas secunda. Wittebergæ 1611.

13. Olearius Joh. Frid. Juris controversi Theoretico-practici Decas. Lipsi
1699.

14. Bruckner Hieronym. Decas positionum e donationum materia desumta-
rum. Erfurti 1633.

15. Index Titulorum omnium Decretalium, Pandectarum & Romae sin. a

16. Mancinus Celsus. De restitutione famae liber Censorius. Patavii 165

evitaretur, filios generasset. Ergo etiam arte illos gignere valet, sivè ministerio adoptionis. Non sic autem est de Castrato (175). Cum autem Presbyteri, qui se *castraverunt proptèr regnum cœlorum*, non assimilentur Castratis, natis ab initio frigidis, & impotentibus, sed Spadonibus præditis à sui ortu virtute generativa, sed ea successivè privatis opera hominum; hinc fit quod ad instar Spadonum valent peragere adoptionem, retrotrahibilem ad tempus præcedens ordinum susceptioni, quo poterant incumbere filiis naturaliter procreandis (176).

[175] *Sgambat. in Inst. lib.1. tit.11. de adopt. §. Sed & illud. num.3.*

[176] *Idem Sgambat. loc. cit. n.11.*

49. Respondetur secundò, argumentum nihil probare, quià probat nimis. Tota enim, sivè potissima ejus vis fundatur in Evangelio, sermonem habente de iis, *qui seipsos castraverunt proptèr regnum Cœlorum*. At Evangelium non coarctat locutionem suam ad Clericos constitutos in sacris, & Presbyteratu insignitos: sed illimitatè profert illa verba de cunctis utriusque sexus, & qualiscumque conditionis hominibus, qui etiam nulla ratione voti, sed ex solo proprio proposito, meraque libera sua voluntate servant continentiam, quàm alioquin possent coæqualiter liberè non servare. Hi omnes, inquam, dicuntur se castrare, non physicè, sed allegoricè, proptèr regnum Cœlorum. Si ergò argumentum prævaleret; sequeretur, quod nedum Presbyteri sæculares, verùm etiam laici cōtinentiam spontè colentes, sivè se abstinentes à muliebri concubitu, matrimoniali, aut fornicario; destituti essent facultate filios adoptandi: quod quis effutiet, nisi velit Anticyram navigare?

50. Respondetur tertiò negando suppositum, & explicando textum Evangelii. Suppositum, est quod Evangelium loquatur de lege servandæ continentiæ, qua Presbyteri constringuntur, & hoc negatur, præsertim si verba evangelica, taxativè ad hanc significationem coarctentur. Textus ille namquè distinguit tres species Eunuchorum: nempè primò illorum, qui sic ab origine nati sunt: secundò illorum, qui semetipsos dissecuerunt: tertiò illorum, qui fuerunt ab aliis evirati (177): *sunt*, inquit, *Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt*: idest naturaliter frigidi, & impotentes: proùt fuit Dorotheus Antiochenus ab ipsa sui Genesi Eunuchus (178). Ejusdemque speciei fuisse oportet D. Joannem Chrysostomum, qui de concubitu fæmineo calumniatus, carptores suos ità retudit: *Dicunt, quod cum muliere dormierim. Exuite mè, & invenietis membrorum meorum mortificationem* (179). Quidpiam quoque simile de B. Methodio Episcopo recensetur, qui ut coæqualem imposturam de fæmina violata refelleret, secretas corporis partes adstantibus conspiciendas exhibuit, *ità morbo quodam consumptas, ut naturalis prorsùs essent virtutis expertes*: quod miraculo D. Petri Apostoli sibi contigisse affirmabat (180).

[177] *Maldonat. & Cornel. à Lapid. in Matth. capit.19. num.12.*

[178] *Theatr. vit. hum. v. Eunuchi.*

[179] *Card. Baron. ann.403. n.20.*

[180] *Idē an.843. num.3. & 4.*

51. Sed fortè Sanctus Methodius potiùs cum Eunuchis secun-

dæ speciei connumerandus erit: de quibus textus Evangelicus ait: *Et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus*; ideſt evirati, vel ex odio, aut qualitercumque opera manuum hominum: quemadmodùm fuerunt Sancti Germanus, & Ignatius; necnon Theophylactus, Photius, Nicetas I. & Euſtatius II. Antiſtites Conſtantinopolitani, de quibus per nos alibi dictum eſt (181). Et innumeri alii per hiſtorias memorati: ac illi, qui dietim Eunuchi fiunt, vel ut aptiones reddantur ad muſicum cantum; vel ut cuſtodiendis fæminarum gynecæis addicantur: vel denique ut ab alicujus gravis morbi periculo liberentur: qualis fuit unus ab Ivone Carnotenſi memoratus, *qui ſe propter epilepſiam curandam eunuchiſlavit* (182). Ne de ſtultiſſima illa, & beſtiali abſciſſione loquamur, qua Baſſianus Caracalla Imperator, ut ſe magnæ matri Deorum dedicaret, ſeſe in fæminam verti fecit, volens & Baſſiana impoſterùm appellari (183). Necnon de altera præcedente Spori adoleſcentis, diſſecti juſſu Neronis idcircò, ut hic faciliùs cum eo in ſpeciem muliebris ſexus mutato, inaudita eouſque libidine, poſſet inhoneſtè ſcortari (184).

52. Denique *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt*: ideſt qui ſe propriis manibus abſciderunt, vel aliter ſibi reddiderunt organa virilitatis inepta. Hujuſque tertiæ ſpeciei extitit Origenes Adamantius, qui literaliter intelligens mox relatum textum cum ſubſequentibus verbis, *propter regnum Cœlorum* (quem debebat allegoricè interpretari) ſeſe ſponte fecit Eunuchum, vel abſciſſione, vel deſiccatione genitalium, ſive ferro, ſive ut aliis placet, pharmaco ad effectum perducta (185). Talis quoque fuit Leontius Antiochenus, qui ſibi teſtes abſcidit (186). Tales illi denique contra quos & Canones Apoſtolorum (187): & alia Eccleſiaſtica Jura conclamare notiſſimum eſt (188): conſentientibus in idipſum legibus quoque laicalibus, hujuſmodi facinus interdicentibus ſub gravium animadverſione pœnarum, tam contra ſpontè ſe offerentes ut mutilentur; quàm adversùs medicos & chirurgos quemquàm citrà neceſſitatis articulum evirantes (189).

53. Dùm autèm Chriſtus Dominus in Evangelio æquiparavit huic triplici Eunuchorum ſpeciei homines colentes caſtitatem, non locutus eſt de Presbyteris ſæcularibus, ut ſupponitur, neque de Clericis, qui ſunt ſacris Ordinibus inſigniti, ſaltem reſtrictivè ad illos; ſed de cunctis fidelibus utriuſque ſexus univerſaliter: ſivè ſint viri, ſivè fæminæ: ſivè Laici, ſivè Eccleſiaſtici: ſivè liberi, ſivè nupti: ſivè ex voto, ſivè citrà votum, ſpontè ſervantibus continentiam. Sicut ergo ex illo textu non ritè valet inferri, quod laici, fæminæ, clericique minorum Ordinum, colendæ caſtitatis gratia, ſe ſpontè compeſcentes à concubitu, etiam licito, & matrimoniali, non poſſint ſibi filios adoptare; ità nec etiàm ritè inferri valet, quod Presbyteri ſæculares, tametſi adſtricti Eccleſiaſtica lege

(181) *Braſch. de Patriarch.Conſpol. cap.7. num.2.*

(182) *Ivo Carnot. epiſt. 223.*

(183) *Cuſpinian. Ap. Theatr. vit. hum. v.Eunuchi.*

(184) *Sueton. in Neron.*

(185) *S. Epiphan. hereſ. 64. Card. Baron. ann. 230. num.4.*

(186) *S. Athanaſ. epiſtol. ad ſolitar. Socrat.lib.2.c.21.*

(187) *Canon. Apoſtol.21. 22. &c.*

(188) *Vide Canones in decreto Gratian. diſt.55.*

(189) *Leg. 4. §. 2. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.l.1. & 2. Cod. de Eunuchi. Nov. Juſtin.142.*

lege servandæ continentiæ, non possint celebrare adoptionem filiorum legalium, retrotrahibilem ad tempus præcedens, in quo castitatem servare minimè tenebantur.

SECTIO IV.

Diluitur Objectio notabilis ex facto Equitis Hierosolymitani desumpta.

SUMMARIUM.

54. Quarta *Objectio de non permissa adoptione, nec etiam gratiosè Equiti Hierosolymitano.*
55. *Cur ei denegata fuerit hæc facultas? Si Eques non potest adoptare, nec etiam Presbyter id poterit peragere.*
56. *Innuuntur causæ potiores, ob quas distentus fuit idem Eques ab adoptione complenda.*
57. *Non fuit definitum, quod non posset adoptare: sed quod ei non erat adoptio permittenda.*
58. *Ex motivis prudentialibus ita fuit rescriptum, nè hujusmodi exemplum introduceretur in Ordine Hierosolymitano.*
59. *Papa potest alicui Regulari permittere nedum adoptionem, verùm etiam Matrimonium.*
60. *Equites Hierosolymitani sunt veri religiosi. Non potest autem religiosus adoptare.*
61. *Quia est mortuus mundo, est sub aliena potestate, non potest contractus inire, nec habet suum velle absolutum.*
62. *Licet Equites præfati non valeant adoptare, non inde sequitur quod nec etiam Presbyteri valeant id facere.*
63. *Superior regularis non potest Religioso concedere facultatem adoptandi, & alia plura faciendi.*
64. *Dispensare contra vota substantialia Religionis, non dicti superioris est, sed reservatum Papæ.*
65. *Regularis eget duplici præsidio ad celebrandam adoptionem. Quodnam sit primum præsidium?*
66. *Secundum præsidium est licentia adoptandi. Etiam laici non possunt sine solemnitatibus adoptare.*
67. *Presbyter non duplici, sed unico præsidio indiget, nempè secundo, seu licentia.*

54. Opponet aliquis *Quarto* loco exemplum Comitis Felicis Landi Placentini Equitis Hierosolymitani, professi, qui se cernens ultimum superstitem propriæ prosapiæ, ut ejus conservationi eo quo meliori posset modo consuleret; adoptavit

 sibi

sibi in filium Adrianum paritèr Landum, approbante arrogationem seù adoptionem ipsam Serenissimo Duce Parmæ, ac Placentiæ locali Principi supremo. Verùm talis actus validitate in controversiam posita, reque ad judicium Sedis Apostolicæ delata; cum supplicaret idem Eques pro confirmatione, & revalidatione arrogationis jam factæ; vel saltèm pro habilitatione ad illam iterùm ineundam; negotium fuit formitèr discussum in Sacra Congregatione Concilij: quæ tandem *die* 4. *Maii anni* 1694. decrevit, nec etiàm ex gratia permittendam esse præfato Equiti, tamètsi alioquin plurimùm benemerito, facultatem arrogandi, seu adoptionem petitam celebrandi (190).

(190) *Joseph Bertachin. vot. decisiv. vot.* 177.

55. Pro qua sanè gratiæ denegatione suadenda id potissimè allegabatur, quod sicut Equiti Hierosolymitano professo inhibitum est contrahere Matrimonium, & per consequens gignere filios legitimos, & naturales; ità etiam ipsi non erat permittenda facultas arrogandi sibi aliquem in filium: quippè filii adoptati, seu arrogati se habent velut veri, & legitimi filii (191). Item quod qui filios naturales obtinere non valet; ipse nec etiàm potest sibi filios adoptivos arrogare: quandoquidèm adoptio esse debet imitatrix naturæ (192). Deniquè quod, ut inquit Baldus (193) inhabilis ad generandum non potest sibi aliquem in filium adoptare. Quibus ità se habentibus, arguitur hoc modo: si fas non est Equiti Hierosolymitano filios adoptare; a pari quoque id licitum non erit viro in Presbyteratus Ordine constituto.

(191) *Cyriac. controv.* 504. *num.* 67. *Seraph. dec.* 1286. *num.* 2.

(192) *Jason. in l. Filio quam n.* 26. *ff. de lib. & posth. Palm. conf.* 64. *n.* 5.

(193) *Bald. in §. In pluribus n.* 1. *Inst. de adopt.*

56. At in primis mox allegatæ rationes, & à Bertachino, referente casum adductæ (194) nostro judicio, non poterant, vel esse non debuerunt illæ, quæ dederunt causam exclusioni gratiæ à recensito Equite postulatæ. Nam ex hucusque dictis in præsenti dissertatione, vel non, vel vix fuissent ad sufficientes justificandam exclusionem præfatam: & ad evertendam adoptionem jam celebratam, ac Principis supremi loci, ubi fuerat inita, roboratam auctoritate. Sed veræ rationes subtrahentes Equiti Hierosolymitano facultatem arrogandi sibi filios, illæ sunt, quas paulò inferiùs afferemus, tam prudentiales, quàm juridicæ, in unum simùl, & eundem sensum junctis viribus collimantes (195).

(194) *Joseph Bertachin. loc. cit.*

(195) *Vid. paulò infrà n.* 58. *&* 61.

57. Deinde hoc argumentum, & exemplum, non unica, sed multiplici responsione diruitur. Etenim *primò* Sac. Congregatio Concilii non censuit, Equitem Hierosolymitanum professum non posse sibi adoptionis titulo alienum filium arrogare: sed non esse illi permittendam facultatem eum adoptandi. Valdè autèm differunt intèr se duo hæc, non *posse* fieri, & non *debere* permitti. Multa enim sunt, quæ quamvis ab homine, ut in se fieri possint; adhùc tamen ea fieri non oportet, atque à superiore impediri valet, ne fiant. Hinc Apostolus; *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

Om-

Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant (196). Igitur ex sola denegata Equiti Hierosolymitano facultate actum civilis adoptionis peragendi, non ritè infertur, quod eadem non possit expleri ab hominibus in Presbyterali ordine constitutis, quotiès in eis concurrant omnia requisita, & conditiones, ad hunc actum exercendum legitimè necessariæ.

(196) 1. *Corinth. cap.10. n.22.*

58. *Secundò* dici quoque potest, quod quoniàm decretum Sacræ Congregationis Concilii conceptum fuit sub terminis *negandæ permissionis*; ratio negationis non inhæsisse videtur, saltèm præcipuè, atque totaliter, intrinseco, & immanenti defectui potestatis radicato in Equite, sed potiùs rationi, seù rationibus prudentialibus, dictantibus, quod, quidquid esset de tali potestate, re in abstracto, ac theoricè sumpta; practicè tamèn, & in concreto, non ei permittendus erat adoptionis actus. Quippè cum nullum aliud exemplum simile in sacra Religione Hierosolymitana contigisset; Sacra Congregatio, vel ex officio, vel fortè ad instantiam ipsiusmet Religionis, cavendum duxit, nè quid tale fieret: ut nec etiàm pro prima vice introduceretur exemplum exercitii hujusmodi facultatis, proptèr inconvenientia, quæ indè possent Ordine in illo inclyto exoriri. Atque ità, quod tunc prudentia deposcente actum fuit cum Equite præfato, nil penitùs afficit proùt de jure quoad Presbyterum sæcularem.

59. *Tertiò*, Argumentum nihil probat, quia nimirùm probat. Nàm quoniàm Sac. Congregatio rescripsit, non esse permittendam adoptionem Equiti Lando, *nec etiam ex gratia*; si argumentum ipsum valeret, probaret quod nulla humana facultas eo usque se posset extendere, ut habilem redderet, nec etiam ex gratia, Presbyterum sæcularem ad filios adoptandos, quippè id nec etiam ex gratia permittendum esse decisum fuit Equiti Hierosolymitano. Quod tamen erroneum esse tota præsentis dissertationis series apertissimè manifestat. Et sanè quis recti conscius audebit in sensu veritatis negare, quod possit Summus Pontifex, justis exigentibus causis, permittere Presbytero sæculari, quinimò & Religioso quoque professo, facultatem adsiscendi sibi filium adoptivum; si hos habilitare valet etiam ad matrimonium celebrandum, quo dent operam filiis sibi naturalibus procreandis; proùt paulò infra ostendetur? (197). Et hic sufficiat eventus Nicolai (atavi S. Laurentii Justiniani) qui postulante Vitali Duce Venetorum ab Alexandro Papa III. dispensatus fuit, ut posset ex Monacho ad sæculum redire, pro reparanda deficienti sobole suæ gentis; & post genitos tres mares, ac tres femellas, *voti veteris religionis non immemor ad monasterium reversus est* (198).

(197) *Vide hic infrà §.76.*

(198) *Vit. S. Laurent. Justin. cap. 1. Ap. Surium to. 1. die 8. Januarii.*

60. *Quartò*, idem argumentum nihil probat, quia non æquo pede, sed admodùm dispari procedit incessu, proportio intèr sim-

 pli-

plicem Presbyterum sæcularem, & Equitem Hierosolymitanum professum. Nam inclytus Ordo Equestris Hierosolymitanus est vera Religio (199). Et ejus Equites, uti emittentes tria vota solemnia, quæ sunt de substantia Religionis; verè, formaliter, atque realiter sunt Religiosi regulares (200). Non potest autem ullus Religiosus regularis professus adoptare sibi filios, ex alio capite, quam quia non valeat uxorem ducere, ac naturales filios licitè procreare: sitque inhabilis ad generandum; nec sibi possit adoptionis jure parare quod non valet ope naturæ perficere (201). Seù saltèm hæ non sunt potissimę causę, proptèr quas interdictum illi sit legalis adoptionis exercitium: sicut ex hucusquè dictis hę ipsemet causę non subtrahunt Presbytero sæculari potestatem adoptionis faciendæ.

61. Sed præcipuè, potissimæ, ac efficacissimæ causæ, nudantes Religiosum professum antefata potestate, sunt, quod idem Religiosus est mortuus civiliter, & ut dici solet, est mortuus mundo (202). Ipse renunciavit omnibus quæ possidebat: & nedum proprias facultates à se abdicavit, verùm etiam à se propriam voluntatem abscidit, & in suum transtulit superiorem (203). Deniquè unus est ex illis, de quibus D. Gregorius: *sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reservant; sed sensum, linguam, vitam, atquè substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant* (204). Velutque talis, Religiosus, inquàm, professus ex se non habet nec velle, nec nolle; nullam facere potest obligationem civilem, nullum contractum inire, nullum in suam potestatem suscipere, nullum tandem constituere suum hæredem. Quandoquidem hæc omnia repugnant statui hominis religiosi, & solemnibus votis, quibus reperitur adstrictus. Adoptare autem filium est exercere actum proprię voluntatis, est contractum civilem inire, est se legali obligatione constringere, est alienum hominem in sua potestate suscipere, est adoptatum denique suum facere hæredem.

62. Stricteque de Equite Hierosolymitano loquendo, hic eo ipso quod professionem Regularem emisit, evasit intestabilis, & incapax dominii, ac professionis bonorum in propria persona (205). Ac uti talis, quemadmodùm non potest sibi hæredem constituere per testamentum; sic etiam nullum sibi hæredem facere valet per adoptionem. Non item quemquam in suam potest adoptivè recipere potestatem, quia ipse non est arbiter sui, nec est sui juris: imo actu est sub alterius potestate, nempè sui superioris. Non potest se civili obligatione adstringere favore alterius; cum quo contractum adoptionis ineat, quià non habet exercitium propriæ voluntatis ad contractus civilitèr ineundos, independentèr à suo superiore: Quæ omnia tamèn liberè, ac licitè pro suo arbitratu exercere potest Presbyter sæcularis: quippèqui non renunciavit sæculo, nec ita strictè ut Regulares professi, se divino servitio mancipavit (206).

(199) *Card. de Luca de præmin. disc. 49. num. 7.*
(200) *Idem de Regul. disc. 1. n. 121 & disc. 46. n. 11.*
(201) *Vide hic supra num. 41.*
(202) *Sgambat. in in lib. 1. Inst. titul. 11. de adopt. §. Sed & illud n. 7. & 8.*
(203) *Cap. Non dicatis 12. qu. 1.*
[204] *S. Greg. homil. 20. in Ezechiel.*
[205] *Bertachin. vot. decis. vot. 177. num. 2. Sgambat. loc. cit.*
[206] *Card. de Luca de feud. disc. 16. de Regul. disc. 46. n. 11. & ad Concil. disc. 34. n. 13.*

Ideo-

Ideoquè tametsi non sit fas Equiti Hierosolymitano, vel cuicumque alteri Religioso, aliquem adoptare; non indè sequitur, quod neque idipsum sit fas Presbytero sęculari.

63. Nec his auditis, ut statim inferas, ergo Eques Hierosolymitanus, & quilibet alius Regularis professus, poterit adoptionem celebrare cum sola permissione sui Superioris regularis; quod tamèn falsum esse convincit decretum Sacræ Congregationis Concilii statuens, eidem Equiti, nec etiam ex gratia concedendam esse hujusmodi permissionem. Non, inquam, id statim inferas; Nàm talis consequentia ex præmissis legitimè non infertur. Quinimò negatur suppositum; nempè quod Superior regularis possit hujusmodi facultatem suis Religiosis postulantibus impertiri. Non enim quæcumque vult Superior regularis, ea potest concedere, ut à suis subditis fiant: cùm esse multa innotescat, ad quæ non se facultas superioris Regularis extendit. Et ità non ei fas est indulgere, quod suus Religiosus possideat bona in proprietate: imò & nec in proprio usufructu (207). Non potest ei concedere, quod sit Tutor, neque testamentarius, neque dativus, nec etiàm miserabilium personarum (208). Et sic de aliis.

[207] *Capisuc. controv. 11. §. 1. versiç. Id verò fol. 269.*

[208] *Concil. Trid. sess. 25 cap. 2. de Regular.*

64. Ratioque inde proficitur, quod nullus Canon, nulla lex allegabilis est, quæ tribuat Superioribus regularibus facultatem dispensandi cum suis subditis in iis, quæ sunt contraria tribus votis pertinentibus ad substantiam Religionis. Hæc etenim dispensatio spectat ad causas, quæ dicuntur majores, seu graviores, & sunt soli supremæ auctoritati Summi Pontificis, tamquam Ecclesiæ capitis, reservatæ privativè quod omnes. Cujus est Vicariali Christi auctoritate, qua pollet, interponere Apostolicam dispensationem, quoties tam justæ, ac adeò urgentes causæ, diligentèr examinandæ, concurrunt, ut prudentis viri judicio cognoscatur, in talibus rerum, personarum, ac temporum circumstantiis, esse rationabilitèr dispensandum: Nec minus deservire justitiæ, atque pietati dispensationem interpositam, quàm opus, quod alioquin fuisset, cessante dispensatione, complendum.

65. Attendas adhuc opportunè oportet ad aliam gravem disparitatem inter simplicem Presbyterum sæcularem, & Equitem Hierosolymitanum, nec non alium quemcumque Regularem professum occurrentem; & in eo sistentem, quod ad hoc ut Religiosus possit sibi filium adoptare, duplici præsidio succurri oportet à legitimo superiore: nimirum primò *habilitatione*, secundò *licentia* celebrandi adoptionem. *Primum* præsidium tollere debet ab eo inhabilitatem, & incapacitatem talis actus explendi, eidem insitam, & inhærentem, ratione status religiosi, & solemnium Votorum, quæ spopondit: ac illum reddere habilem, & capacem adoptionis agendæ. Quam habilitationem obtinere non potest, nisi à

 sum-

summo Pontifice interponente dispensationem, ac procedente non via ordinaria, sed facultate suprema; sive utente plenitudine potestatis: sine qua justis causis innixa, non derogat substantialibus Religionis.

66. *Secundum* præsidium, quo indiget Regularis (& quilibet quoque alius in sacris Ordinibus constitutus) est licentia, vi cujus procedatur ad actum adoptionis eliciendum, & idem actus authorizatus, comprobatus, & justificatus remaneat præsidio superioris licentiam ipsam, & auctoritatem interponentis pro validitate ipsiusmet actus. Nam etiam quilibet laicus, tametsi nulla destitutus libertate, nulloque impedimento detentus, adhuc tamentsi velit aliquem sibi adoptionis jure in filium arrogare, id facere debet solemnitatibus opportunis, & à Jure præscriptis: quarum una est, quod arrogatio fiat coram Judice competente, qui approbet actum, & auctoritatem suam interponat validitati contractus, qui celebratur inter arrogantem, & arrogatum (209). Hicque Judex, sive superior competens, respectu ad viros in sacris constitutos, est pariter solus Papa, uti paulò inferiùs ostendetur (210).

(209) *Barbos. jur. Eccles. lib. 1. c. 43. num. 57.*

(210) *Vide infrà §. 75. & 76.*

67. Duplici præsidio, inquam, indiget Regularis professus, ut sibi adoptionis jure filium valeat arrogare. At simplex Presbyter sæcularis non duplici, sed unico tantum eget: ac non primo, sed secundo præsidio. Etenim non ei opus est dispensatione, capacem illum, & habilem reddente ad actum adoptionis agendum; quia nulla lex adest relaxanda, nullus Canon dispensandus, per quem reddatur inhabilis, & incapax adoptionis complendæ. Solùm ergo illi sufficit secundum præsidium, nempe licentia præfata, vi cujus descendere valeat ad ipsum actum, non tam faciendum, quàm legaliter, & debita solemnitate complendum. Rebusque ita se habentibus, quidquid factum fuerit circa Equitem Hierosolymitanum; vel fieri unquam debeat, aut contingat, circa quemlibet alium Regularem professum, satagentem celebrare adoptionem; hoc nihil officit simplici Presbytero sæculari tantundem adimplere cupienti, propter discrimen personarum, diversitatem status, & distinctam conditionem, inter unum, & alteros occurrentem.

SECTIO V.

Restrictio Conclusionis. Et de methodo in Adoptionis celebratione servanda.

SUMMARIUM.

68. Potest quilibet Presbyter, & maximè ille, qui dedit causam huic Dissertationi, facere adoptionem.

69. *Con-*

69. *Conservatio divitiarum in eadem familia meretur attendi, & commendabilis est.*

70. *Presbyter, de quo hic agitur, adoptans sibi filium, obsecundat voluntati sui Fideicommissentis.*

71. *Diversi modi adoptionis faciendæ: per incisionem capillorum, per contactum barbæ, per ensis porrectionem.*

72. *Romani crebrò per testamentum adoptabant. Curiosus modus quandoque in Hispania servatus.*

73. *Adoptiones Romæ fiebant in Templo, vel coram Laribus gentilitiis. Et Collegium Pontificum eas approbabat.*

74. *Post Cæsarem, Imperatores approbabant easdem. Duplex est adoptio, perfecta, & imperfecta.*

75. *Diversitas inter illas. Coram quo arrogatio fieri debeat, & coram quo adoptio. An sufficiat auctoritas Episcopi.*

76. *In Presbytero sæculari ad faciendam adoptionem opus est indulto Pontificio, & cur?*

77. *Potest Papa idem Indultum concedere: nec pro eo consequendo citatione alicujus opus est.*

78. *Pontifex potest etiam cum Monachis, & multò magis cum Presbyteris super matrimonio dispensare.*

79. *Cælibatus non est de essentia status Presbyteralis. Differentia inter Sacerdotes sæculares, & regulares.*

80. *Matrimonium nec jure naturali, neque divino, incompatibile est cum statu Clericali.*

81. *Si Papa dispensare potest cum Presbytero super castitate, multò magis potest indulgere, ut adoptet.*

82. *Adsunt justæ causæ concedendi hoc Indultum. Postulans illud intendit adoptare nepotem.*

83. *Salvianus declamans contra adoptiones, non improbaret adoptionem nepotis.*

84. *Non dedecet Presbyterum habere filios in matrimonio genitos: & hi gaudent privilegio fori Ecclesiastici.*

68. EX tot itaque, ac tantis hucusque coadunatis rationibus enitescit, ac luculentissimè patet, quemlibet Presbyterum sæcularem (si nihil aliud ei, quam Ordo Presbyteratus obsistat) posse quantum est in se licitè, ac decenter sibi filium adoptare: quippè ad faciendam adoptionem, seu agendum, ut quis filios habeat per artem, quos non genuit carnaliter, tria hæc peculiariter exiguntur, nempe honestas, natura, & Lex, quæ fingat super naturam: hæcque tria in sæculari Presbytero non deficiunt (211). Ac præsertim id potest liberè, servatis servandis, ad effectum perducere D. Cortesius, qui occasionem dedit præsenti dissertationi, propter peculiares circumstantias in eo concurrentes.

[211] *Sgambat. Inst. lib. 1. tit. 11. de adopt. §. Sed & illud num. 12.*

Au-

Auctor enim Fideicommissi, quo ipse potitur, valdè sollicitus fuit, ut ejus familia, quo meliori posset modo, conservaretur, saltem per adoptionem: ratus, etiam allectam haberi ac si esset vera familia (212): Simulque providens, ne bona sua transitum facerent ad personas extraneas, non sibi acceptas, & dilectas, seu à se nullatenus contemplatas.

[212] *Card. de Luca de fideicom. disc.25. n.13. &c. & disc. 34. n.16. ac de praeminent. disc.13. n.24.*

69. Qui sanè transitus propriarum divitiarum ad alienos, odiosus est, & displicere solet viris honorificis, atque cultoribus nobilis sensus. Vndè in ipsis quoque sacris paginis querulosè profertur: *Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium nostrum: Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos* (213). Consonat & textus flebilis Abrahae, sic Dominum alloquentis: *Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus haeres meus erit* (214). Quam bonorum dissipationem, & respectivè sollicitudinem conservandae propriae familiae; ac familiarium divitiarum in eadem, commendant apprimè Doctores, ac esse considerandam rationabiliter opinantur, in dispensationibus obtinendis, quarum ope consulatur utrique conservationi (215).

[213] *Jerem. Thr. cap.5. num.1.*

[214] *Genes. c.15. num.3.*

[215] *Lezan. consultat. var. cons.11. num. 28.*

70. Auctor, inquam, Fideicommissi, quo D. Cortesius potitur, in sua postrema dispositione praescripsit, quod ultimus ex suis agnatis, in quo terminum haberet propria masculina familia, eo quod reperiretur filiis legitimis, & naturalibus destitutus; posset ad idem Fideicommissum vocare *filios quoque adoptivos*. Ipsemet igitur Cortesius nunc adoptando suum ex sorore nepotem, non quid inane, non quid inutile peragit, sed obsecundat voluntati proprii Fideicommittentis: & id adimplet, quod ejus Auctor contemplavit, ac satis clarè significavit, esse suum desiderium, ut fiat. Haecque obsecundatio mentis Testatoris (etiam si quodcumque aliud rationabile motivum cessaret) justa, honesta, & sufficiens causa est procedendi ad actum consummatum pluries memoratae adoptionis; ne ipsiusmet disponentis intentio irrita fiat, sed quantum jura permittunt, suum plenarium consequatur effectum.

71. Reliquum est igitur jam perscrutari modum, in hac ipsamet adoptione tenendum: & quidem modum, non relativè ad signa exteriora, quibus compleri solet: sed habito respectu ad publicam auctoritatem, qua debet ad effectum perduci. Alicubi adoptionem fieri consuevisse per primam capillorum incisionem: alibi per contactum barbae defluentis ex mento; jam supra satis innuvimus. Apud aliquas Nationes fiebat porrectione frameae militaris: qua de re Cassiodorus: *Per arma fieri posse filium, grande inter gentes constat esse praeconium &c. In sobole frequenter fallimur: ignavi autem esse nesciunt, quos judicia pepererunt. Hi enim gratiam non de natura, sed de solis meritis habent* (216). Ita Theodoricus

[216] *Cassiodor. var. lib.4. epist.2.*

ricus Rex Gothorum, per gladii exhibitionem sibi Regem Herulorum in filium adoptavit: & Justinianus Imperator Eutharicum Amalum, qui fuit pater Athalarici similiter Regis Gothorum (217).

72. Apud Romanos haud raro contigebat, adoptiones testamento peragi, quo testator postremis voluntatis suæ tabulis declarabat, se aliquem sibi in filium adoptare (218) prout fecit Cæsar adoptans Octavianum, Augustus Tiberium (219), & alii alios; quos inter Liciniæ filius, de quo Cicero; *Crassi testamento fuit adoptatus* (220). Curiosoque planè ritu hac in re Hispanos esse usos infertur ex actu, quo Sancia, ut adoptaret Mudariam in filium, illum per amplissimam indumenti manicam accepit, & per collare foras extraxit (221). Sed circa has, aliasque symbolicas actiones, quibus diversæ gentes, & populi, se celebrare adoptionem profitebantur; hic non diutiùs immorandum: tendente calamo ad indagandum, qualiter debeat auctoritas publica novis adoptionibus adhiberi.

73. Erat mos Romanorum, ut adoptiones non clam, non clandestinissimè, sed coram ara insignis alicujus Numinis complerentur: uti de adoptione Trajani superius dictum est. Sin minùs fierent coram Laribus gentilitiis (222). Et quantum ad publicam superioris auctoritatem, eam Ethnici Pontifices, eorumue Collegium interponebant. Inquit enim Alexander ab Alexandro; *Quod si quis sui juris arrogandus foret; quæ causa adoptionis, quæ ratio generis, quæ dignitas, quæve essent sacra, apud Pontifices lege quærebatur, quæ lex Curiata dicta est. Idque ideò cautum, ne qua calumnia, seu quis dolus compositus in arrogando sui juris homine adhiberetur. Ita ut adoptiones contra jus Pontificum factæ, aut sine Collegii decreto, nullæ, ac pro irritis forent* (223).

74. Regnantibus postea Imperatoribus, & ad eos translata tota Senatus, Populique Romani, atque omnium Magistratuum potestate; cooptationibus quoque in alienam familiam, auctoritatem publicam interponere Cæsares consueverunt. Jamque ex tunc, esse cautum dignoscitur, adoptionem perfectam non sustineri, nisi fuerit decreto supremi Principis consummata. Duplex etenim est adoptio, perfecta, & imperfecta. Prima dicitur alio nomine *Arrogatio*. Secunda verò simplex *Adoptio* (224). Illa non potest exerceri in eum, qui non est sui juris, nisi sit emancipatus à patre, vel à Domino manumissus: hæc verò potest (225). Adoptati non transeunt in potestatem adoptantis: transeunt verò in arrogantis potestatem, qui fuerint arrogati (226).

75. Sed, & adoptatus non est hæres ex testamento necessarius adoptantis (nisi ab eo gratiosè instituatur) sed solùm ab intestato. Quo casu patri succedit, vel solus, si nulli alii adsint filii legitimi, vel cum illis, si qui sint (227). Itaùt ascendentes excludat: & veniet

[217] *Gonzalez in cap. 1. n. 6. de cogn. legal. lib. 4.*

[218] *Idem ibi n. 5.*

[219] *Sveton. in August. & in Tiber. Vellei. Paterc. l. 2. Eutrop. lib. 7.*

[220] *Cicer. in Bruto.*

[221] *Marian. Hist. Hispan. l. 8. cap. 9. Covarruv. in Thes. v. Caveçon.*

[222] *Gonzal. ubi supra num. 7.*

[223] *Alexand. ab Alex. genial. lib. 2. cap. 8. fol. 149.*

(224) *S. Thom. in 4. dist. 42. qu. 2. art. 1. Layman. l. 5. tr. 12. par. 4. cap. 7. n. 1.*

(225) *Sanchez de Matrim. l. 7. disput. 63. num. 2.*

(226) *Gonzalez in cap. 1. n. 4. de cogn. legal. Sanchez loc. cit. Richard. dist. 42. art. 2. qu. 1. lib. 3.*

(227) *Leg. penult. §. Et si quidem C. de adoptiv. leg. Si te parens Cod. de suis, & legit. Auth. in success. eod. tit.*

niet contra testamentum si præteritus fuerit quoad legitimam (228). Arrogatus verò est arrogantis hæres, non gratiosus, sed necessarius (229). Ad arrogationem opus est consensu arrogati, verbis expressis elicito. Ad verò adoptionem sufficit etiam tacitus adoptati consensus (230). Denique simplex adoptio fieri potest sola intercedente auctoritate Judicis inferioris: dummodò tamen ei competat merum, & mixtum imperium exercere: Adoptio verò perfecta, sive arrogatio, uti mox diximus, expleri non valet, nisi suam auctoritatem huic actui Supremus Princeps interponat (231). Hisque ità se habentibus, & utriusque adoptionis attenta diversitate, videtur, quod in Presbytero sæculari pro arrogatione peragenda sit necessaria Summi Pontificis auctoritas: pro complenda verò simplici adoptione possit etiam sufficere sola Episcopi Ordinarii loci facultas (232).

76. Veruntamen quia in Sacerdote sæculari simplex quoque adoptio est actus insolitus, rarus, & notabilis valdè; quidquid sit theoricè de sufficientia Episcopalis auctoritatis pro ipsamet adoptione complenda; practicè nihilominùs ad illam exigi necessariò dicendum est Beneplacitum Pontificium. Quod sanè Indultum innuit etiam Lotherius (233): & de illo magis ex proposito agit Quintilianus Mandosius: qui sententiam asserentem, quod licitum sit Presbyteris quoque sibi filios adoptare, vocat *sententiam veriorem* (234): aliis eandem appellantibus *sententiam communem* (235). Et à stylo Romanæ Cancellariæ tale Beneplacitum impertiendi (cum Summus Pontifex, causis libratis, & personarum, aliarumque rerum perpensis circumstantiis, illud judicat esse Sacerdotibus sæcularibus conferendum) ritè infertur, ipsum ad qualemcumque per eos factam adoptionem necessario prærequiri.

77. Nàm certè quantum ad personam Summi Pontificis, quod præfatum Indultum, sine præjudicio habentium potiora jura, quoad effectus hæreditarios adoptantis; valeat in opportunitatibus impertiri; ex relatis hucusque rationibus remanet satis correspectivè probatum. Quandoquidèm si Presbyter sæcularis licitè potest utramque adoptionem, tam perfectam, quàm imperfectam, quantum est in se celebrare; ergò etiam Summus Pontifex potest suam interponere auctoritatem, ut à Presbytero fiat. Si Papa ipsemet valet justis ex causis aliquem sibimet in filium adoptare; ergò præsidium quoque suæ auctoritatis adhibere valet adoptioni, ex justis causis per sæcularem Presbyterum ineundæ. Neque ad istud Indultum impetrandum, neque ad celebrandam adoptionem, opus est cujusquam hominis interpellatione, vel citatione (236).

78. Fortiùs hanc facultatem Summo Pontifici non negabit quicumque conscius est, quod Papa gravibus æquè, ac justis de causis, potest nedùm cum Sacerdotibus sæcularibus, verùm etiam

(228) *Tiraquell. in l. Si unquam. vers. susceperint n. 18. & tract. de jur. primog. qu. 84. Gibalin. de negot. to. 2. lib. 5. cap. 9. art. 3. num. 1.*

(229) *S. Thom. in 4. dist. 42. qu. 2. art. 1. ad 1. Sanchez, & Richard. locis cit.*

(230) *Layman. l. 5. tract. 10. p. 4. cap. 7. n. 1. Sanchez loc. citat.*

(231) *Leg. 1. C. de adopt. Inst. eod. tit. in princip. Richard. dist. 42. art. 2. qu. 1. lib. 3.*

(232) *Ruin. consil. 167. vol. 5. Lotter. de re Benef. l. 2. qu. 48. n. 187.*

(233) *Lotter. loc. mox citat.*

(234) *Mandos. de Sign. Grat. §. Adoptandi indultum col. 2. v. Clericus in Sacris.*

(235) *Fr. Anton. Sgambat. Inst. lib. 1. tit. 11. de adoption. §. Sed & illud. n. 9.*

(236) *Schrader ad Institut. p. 1. supra tit. 11. de adoption. num. 11.*

cum Monachis; & Monialibus, & aliis voto castitatis adstrictis, dispensare pro matrimonio contrahendo (237); uti communitèr sentiunt Canonistæ, referuntque plures Historici, quandoquè fecisse cum nonnullis Regularibus utriusque sexus, & fere cunctis Christiani Orbis nationibus; qua de re per nos alibi fusiùs dictum est (238). Et quidquid sit adhuc de contraria opinione quorundam Theologorum respectu ad Regulares, qui tria vota substantialia Religionis solemnitèr emiserunt; nulla porrò difficultas est de Presbyteris sæcularibus, Diaconis, & Subdiaconis, sola Clericali sanctificatione insignitis (239).

79. Et ratio est, quia cælibatus, ut in se, non est de essentia status Ordinis Presbyteralis (240). Quotidianè namque cernimus, quod Presbyteri Græci ritus, etiam Catholici, uxorem habent, & matrimonio utuntur antè Sacerdotium contracto (241). Ratioque rationis in eo consistit, quod Clerici sæculares *non renunciant se culo, sed consecrantur ad actus sacri Ordinis exercendos, non tamèn secundùm se totos mancipantur totalitèr Dei famulatui; nec in eo gradu, & perfectione Deo se offerunt, quo Religiosi. Undè & in sæculo degunt, & opes, ac sæcularia sibi retinent, nec obedientiæ jugo se subdunt, ac proindè non solum Deo largiuntur. Et quamvis illorum statui maximè deceat continentia, non est tamen ei statui ex natura rei essentialitèr annexa, sed præcisè ex Ecclesiæ statuto illi competit. Et hæc est ratio à priori, quarè manente in Clerico consecratione Clericali, possit Pontifex in voto solemni continentiæ dispensare cum Clerico sæculari* (242).

80. Profectò jam communitèr est recepta sententia (243), quod status matrimonialis nec ex jure naturali, neque divino, est incompatibilis cum statu Clericali (excepto tempore ministerii divini): neque per aliquem textum Legis divinæ Clericis est prohibitus. Aliàs nec potuisset Græcis per Ecclesiam usus matrimonii concedi, etiam priùs contracti. Nec Apostolus Episcopum unius uxoris virum admisisset (244). Neque S. Dionysium Areopagitam in Atheniensium Episcopum consecrasset, quem conjugatum fuisse non potest in dubium revocari (245). Argumentaque in contrarium allegabilia, seu afferri solita, *id solum evincunt, potuisse ab Ecclesia decentissimè Clericis cælibatum, & votum castitatis injungi, non autèm quod necessariò à divino præcepto injunctum fuerit* (246).

81. Quia igitur debitum servandæ castitatis non est essentialitèr annexum Ordinibus sacris, sed ex solo Ecclesiæ statuto; hinc fit, quod in voto solemni continentiæ Clericalis potest per Summum Pontificem, gravibus, & justis exigentibus causis, pro rerum, temporum, & personarum contingentiis dispensari (247). Quo posito sic optimè à majori ad minus arguitur, entimemmate ineluctabili. Si fas est Summo Pontifici, causarum examinata justitia, Presby-

(237) *Jo: à S. Th. in 2. 2. qu. 38. disput. 24. art. 18. Lezan. consultat. var. consult. 11. Eman. Rodriq. qu. Regul. tom. 2. qu. 1. art. 5. qui penè innumeros alios citat.*

(238) *Brasch. de libert. Eccles. tom. 2. cap. 31. n. 5. & 6. ac tom. 3. cap. 8. n. 12. &c. & c. 16. num. 36.*

(239) *Capisuc. controv. 11. §. 1.*

(240) *Vid. cap. Nuper 12. & cap. penult. ac fin. dist. 31.*

(241) *Cap. Cum olim de Cler. conjug.*

(242) *Capisuc. controv. 11. §. 1. versic. Id autem f. 268.*

(243) *Bellarmin. tom. 1. controv. de Cleric. lib. 1. c. 18. & seq. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 27. n. 4.*

(244) *1. ad Timoth. cap. 3.*

(245) *Act. Apostol. cap. 17.*

(246) *Engel. Colleg. Jur. p. 1. tit. 19. n. 12. fol. 388.*

(247) *S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 11. in corp.*

by-

bytero sæculari usum legitimi matrimonii concedere, quo filios naturales sibi valeat procreare; ergò multò magis ei poterit indulgere, ut per viam adoptionis civilis, valeat sibi legalem filium assumere.

82. Cardo igitur difficultatis jàm non ad dubium de potestate concedentis, neque de habilitate impetrantis Indultum Pontificium; sed ad aliud de justitia causarum, ob quas tùm impetratio, tùm concessio fiat ipsius, erit practicè reducendus. Et in casu nostro, justas, ac rationabiles causas non deficere comperimus evidentèr. Nimirùm ex eo præsertim, quod *Primo* D. Cortesius meditatam adoptionem facere intendens, obsecundat intentioni sui Auctoris Fideicommittentis, ut dictum est. Nam hic, fundando fideicommissum, ab ipsomet Cortesio possessum, voluit ad illud posse filios etiam adoptivos vocari, deficientibus liberis legitimis, & naturalibus. *Secundo*, quia postulantis Indultum, æquanimis, ac benè regulata est intentio. Non meditatur etenim adoptare virum qualemcumque, obscurum, spurium, indecentem, & immeritum; sed omninò dignum, legitimè natum, ac sibi arctissima cognatione conjunctum, tamquam ex ejus germana sorore progenitum. Hicque est casus præcisus, de quo Angelus Aretinus loquitur, approbatque adoptionem per sæcularem Presbyterum peragendam (248). Cui & alii quoque consentiunt, morem gerentes consanguinitati adoptantis cum adoptato (249).

83. Arcta sanè cognatio hæc sanguine conjungens Avunculum cum nepote, adoptantem cum adoptato, talis est, ut nec etiàm cadat sub censura Salviani Massiliensis, concionatoria declamatione improbantis adoptiones *extraneorum* (non autèm proximè conjunctorum) vehementibus hisce verbis: *Quid, quod nonnulli &c. licèt semine sanguinis sui careant, quærunt tamèn quoscumque alios, quibus substantiam propriæ facultatis addicant? Idest quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant, quos sibi quasi adoptitios imaginarii parentes filios faciant, & in locum eorum, quæ non sunt pignorum, perfidia generante succedant* (250). Alitèr profectò peroraturus hic Auctor, si ejus eloquium, pio fervore concitatum, casus nostri circumstantias attingere debuisset.

84. Ac quoad decentiam, quemadmodùm decet, seu nullum est inconveniens, quod Presbyter sæcularis filios habeat legitimos, & naturales, tempore habili procreatos, dùm in statu matrimonii ali antè susceptionem Sacri Ordinis versaretur: prout habuisse constat plures Pontifices, inter quos ipsum D. Petrum (251): necnon multos Cardinales, & Episcopos (252): ac innumeros penè minoris tituli Sacerdotes: Quinimò filii sic geniti, durante vita patris gaudent fori Ecclesiastici privilegio (253); Ità nullum est inconveniens, quod Presbyter sæcularis habeat filios adoptivos, prævia le-

[248] *Angel. Aret. in §. Minorem n.4. ad fin. Institut. de adoption.*

[249] *Sgambat. in lib.1. Instit. tit.11. de adopt. §. Sed & illud. num.9.*

[250] *Salvian. in Timoth. lib.3. post initium.*

[251] *S. Justin. ep. ad Philadelph. Clement. Alex. Strom. lib.7.*

[252] *Brasch. de libert. Eccles. tom.3. cap.18.n.16. &18.*

[253] *Sac. Congreg. Immun. in Calliens.* 18. *Martii* 1631. *Barbos. jur. Eccles. univ. lib.1. cap.39. §.2. n. 61. vers. De filiis fol.* 410. *Dianæ par.* 3. *tract.1. res.6.*

legitima Summi Pontificis permissione, ac juxtà humanas leges assumptos: cujus adoptionis jura, & effectus retrotrahantur ad tempus habile, in quo antè provectionem ad sacros Ordines, potuisset etiàm filios carnales per maritale connubium generare (254). Ac maximè quod pro adoptivo filio habeat virum, tam arcta sibi consanguinitate propinquum, quanta est Avunculo Nepos ex sorore conjunctus. Et ità in sensu veritatis, salva semper Doctrina Sapientiorum, & adducentium potiora jura, judicandum esse, censemus.

[254] *Sgambat. Institut. lib. 1. tit. 11. §. Sed & illud. n. 7. 8. 11. & 12.*

SECTIO VI.

Exitus Causæ, sive præsentis Quæstionis. Et refertur Breve Pontificium.

85. Super hoc articulo, & in casu, quo supplicabat ut suprà Rev. D. Dominicus Hyacinthus Cortesius Presbyter sæcularis Volaterranus, à Sede Apostolica sibi concedi facultatem adoptandi in filium D. Antonium Hieronymum Rainerum, suum ex sorore nepotem; de mandato Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIII. die 13. Januarii 1727. habita fuit Congregatio peculiariter deputata in Ædibus Vaticanis D. Auditoris Sanctitatis Suæ: cui adfuerunt Eminentissimi DD. Finius, & Accorombonus, nunc S. R. E. Cardinales, tunc Prelati: necnon Auctor presentis Dissertationis: qui unanimiter convenerunt in hunc sensum. *Consulendum esse Sanctissimo pro concessione Brevis facultativi juxtà petita, cum clausula, sinè præjudicio Jurium Creditorum, aliorumque quoquo modo jus, hypothecam, & actionem habentium super bonis possessis per Oratorem, etiam cadentibus sub fideicommisso.*

86. Quo sensu audito, idem Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIII. annuendum censuit enixis precibus præfati Reverendi D. Cortesii; cui & petitam facultatem concessit suis literis in forma Brevis, hoc sub tenore conceptis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut Dilectus Filius Dominicus Hyacinthus Cortesi Presbyter, & Canonicus sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Sancti Geminiani Volaterran. Diœcesis, Nobis nupèr exponi fecit, ipse, qui (ut asserit) diversa bona fideicommissaria possidet, ad quorum successionem ab institutore fideicommissi etiàm filii naturales, masculi adoptati, arrogati, & legitimati vocati reperiuntur,

Di-

Dilectum Filium Antonium Hieronymum Ranieri qu. Josephi Ranieri, & Dilectæ in Christo Filiæ Magdalenæ Cortesi Sororis suæ germanæ natum, sui juris existentem, sibi in filium, ut in dictis bonis succedere, & ejusmodi vocationis beneficio gaudere possit, adoptare, seu arrogare, ac propterea sibi in præmissis opportunè à Nobis provideri, &, ut infrà indulgeri plurimùm desideret. Nos dictum Dominicum Hyacinthum specialibus &c. volentes, ac ejus, & præfati Antonii Hieronymi singulares personas à quibusvis &c. censentes, supplicationibus ipsius Dominici Hyacinthi nomine Nobis &c. inclinati, de particularis Congregationis nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui jussu nostro rem maturè discusserunt, consilio, eidem Dominico Hyacintho, ut ipse prædictum Antonium Hieronymum sibi in filium, de ejus consensu, ac servatis aliàs servandis, adoptare, seu arrogare liberè, & licitè possit, sine præjudicio tamen jurium Creditorum, aliorumque quoquomodo jus, hypothecam, & actionem super bonis per dictum Dominicum Hyacinthum possessis, etiam eidem fideicommisso subjectis, habentium, ac itaùt præfatus Antonius Hieronymus per adoptationem, seu arrogationem hujusmodi jura successionis ab intestato quoad quoscumque ejusdem Dominici Hyacinthi agnatos, vel cognatos, ac illorum bona, & hæreditates, nullo modo acquirat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Dominico Hyacintho, & Antonio Hieronymo prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstan. Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Legibus quoque etiam Imperialibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Junii 1727. Pontificatus nostri anno quarto.

ELENCHUS SECTIONUM.

Appro-

Approbatio Illustrissimi, & Reverendissimi D. Francisci de Vico Episcopi Eleusini D.D. Prælatorum Votantium Signaturæ Justitiæ Decani.


ERuditissima Dissertatio Theologico-Legalis, & Historica Illustrissimi, & Reverendissimi D. Joannis Baptistæ Braschi Archiepiscopi Nisibeni, & Sanctissimi Domini Nostri Subdatarii, est adeò Juri, & Historicæ notioni consentanea, ut nihil in materia intactum, celebrem Authorem reliquisse videatur; & ideò pro simplici Voto requisitus, obsequii, & veritatis testimonio, me subscribo.

F. de Vico Episcopus Eleusinus, ac Signaturæ Justitiæ Decanus.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

N. *Episcopus Bojanen. Vicesg.*



IMPRIMATUR

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolic Magister.